



Orationes duae carmine heroico scriptae, et publice recitatae in celeberrima Academia Lipsensi,

<https://hdl.handle.net/1874/430559>

98 3
ORATIONES
DVAE CARMINE
HEROICO SCRIPTAE, ET
PVBLICE RECITATAE IN CELE-
BERRIMA ACADEMIA
LIPSENSI,

A
Iacobo Strasburgo.

*In prima oratione describitur Christi victoris
& Satanae pugna in deserto.*

*In altera est Hypotyposis iudicij diuini contra
lapsum hominem, accusante iusticia & veritate,
defendente autem misericordia & pace
genus humanum.*

L I P S I Æ
IOANNES RHAMBA
EXCVDEBAT.

Anno

M. D. LXV.

ORATIONES

D. VALE CARMINI
HERODICO SCRIPTAE ET

HYDROG. RECIPTAE IN GREC.

BRUNNIA ACADEMIA

PRIMUM

A

Jacobo Strassburgo.

In prima oratione de ...
& ...

In ...
...
...

L I S I A

IOANNES RHAMBA

EXCVRBERAT

1711

M. D. C. C. I.

NOBILITATE
GENERIS VIRTUTE
ET ERVDITIONE ORNATIS-
simis iuuenibus, D. Othoni &
Carolo à Discau, amicis
carissimis

IACOBVS STRASBURGVS

S. P. D.



Omnium actionum & consiliorum
sapientiae atque industrię humanę,
OTHO & CAROLE, nobilissimi
iuuenes, tres (vt opinor) fines
sunt præcipui, in quibus, si ullo
vel minimo saltem desiderio summi & ultimi
boni, cum recordatione nostrę originis, in
spem futurę maiestatis, excitamur: totos esse
& uersari nos imprimis decet, qui in Scho-
lis Christianis educati, maxima Dei benefi-
cia, ut par est, agnoscimus, eaque diu multumque
cogitantes, cum ueneratione admiramur. Ac
ut de primo paucis dicam, nõ tantum à Deo
opitulatore, quod pię sapientissimus uir ait
Cicero, sunt nobis agendi capienda primor-
dia, sed ad eundem etiam dominũ rerum ac
moderatore[m] omnium, referenda, quę à no-
bis fiunt,

bis fiunt, uniuersa. Cum enim omnia, quibus
 utimur, emolumenta, pulcherrimam præte-
 rea, quam intuemur, lucem, naturalem etiã,
 quo sentimus motum, uitæ deniq; spiritum,
 quem trahimus uitalem, à sapiente & benefi-
 co creatore dari & impartiri, nobis sit per-
 suasum: merito tantis prouocati beneficijs,
 apud ipsum autorem, à quo accepimus, præ-
 cipuam operum nostrorum partem & quasi
 gloriam deponimus. Quidquid autem in ui-
 ta humana & mortali non fit cum Deo & in
 Deo, omne id caducum & fragile debet exi-
 stimari, & ab eo, quo cepit, tempore, non mo-
 do nobis & alijs parum utile, sed sæpe malum
 etiam atq; perniciosum. Deinde post illam,
 quæ hominis cū Deo est societatis reueren-
 tiam, locum uendicant sibi proximum Eccle-
 sia & Respublica, duæ actionum diuinarum
 ueluti quædam officinæ, de quibus bene me-
 reri, ex omnibus rebus humanis, res optima
 est & præclarissima. Eò igitur referendæ
 sunt nostræ cogitationes, & in hoc curæ om-
 nes consumendæ, ut habita pietatis ratione,
 cum patria & in patria honeste uiuere & cre-
 scere, pro uera autem religione ad incremen-
 tum illius & propagationem ferre pericula &
 cruciatus, mori deniq; si opus fuerit, non du-
 bitemus. Nulla certe cognatio propior esse
 uidetur, quam illa, quæ singulorum est cum
 Republica: omnium uero amicorum neces-
 situdinem

fitudinem & coniunctionem superat magni-
 tudo caritatis, qua quisq; Ecclesiæ obligatur,
 cuius saluti uita etiam, quæ fato debetur, san-
 ctissime persoluitur. Vnde illa iam trista ser-
 mone communi oratio, Pro aris & focis: quæ
 principibus quondam laudatissimis & opti-
 mis ciuibus fuit usitata, nec tam crebra illi-
 us repetitione quam forti & strenua executi-
 one celebris. Rege Persarum Græciam ua-
 stante, Pausanias Lacedæmoniorum dux
 quingentis auri talentis à Xerxe acceptis,
 Spartam erat proditurus. Interceptis autem
 literis, Hegesilaus illius pater cum rem intel-
 lexisset, filium fugientem ad templum usque
 Mineruæ fuit persecutus: Mater etiam ad fo-
 res huius obstruendas, primum lapidem hu-
 meris apportasse, & proditorem fame neca-
 tum extra fines patriæ scribitur proiecisse.
 Fuit sine dubio in animis optimorum paren-
 tum magnus amor, non tam externa rerum
 ante gestarum gloria, quam ingenito affectu
 in eum quem procrearunt, excitatus: sed ipsi
 quasi naturam exuentes, cum oppressione &
 infamia filij, patriæ libertatem uindicarunt.
 Quid dicam de Constantino Imperatore for-
 tissimo & pientissimo Heroe, qui Licinium
 crudeliter grassantem in homines Christia-
 nos inter diuina miracula & flammæ in aëre
 conspectas, ui atq; armis oppressit, & ut Ec-
 clesiam à sæuissima Tyrannide liberaret, ab
 A 3 imperio

imperio remouit eum, quem fœdere & affi-
 nitate haberet coniunctissimum. Hęc illa
 est excellens & ad omnem posteritatem du-
 ratura, sui conditoris non immemor, uirtus,
 quæ ut diuini nominis gloriam cum salute
 Ecclesiæ & incolumitate patriæ propagaret,
 non pactiones tantum, & arctissimas dissol-
 uit amicitias, sed nomen etiam amantissi-
 mum parentum, summam necessitatem, ma-
 ximamq; religionem paterni materniq; san-
 guinis, interceptit. Vnde illud, quod tertium
 erat sua sponte sequitur, sæpenumero distin-
 ctum, sed non prorsus alienum à prioribus.
 Nam qui hęc duo, de quibus modo dictum
 est, uera qua debet fide, iusto quo par est or-
 dine, sibi esse curæ patitur, quomodo proprię
 salutis ille rationem non habere putandum
 est? Sunt enim hęc uniuersa ita inter se con-
 iuncta, ut hoc posterius periculorum & laborum
 sit præmium & quædam compensatio,
 non quidem sua natura & citra respectum,
 sed cum omnium bonorum causa fides in fi-
 lium Dei præluxerit, tū demum illa quæ per
 se infirma sunt, solidam habent dignitatem,
 non iuxta meritum accipientis, sed ex mise-
 ricordia Dei largitoris. Sed quorsum hęc
 omnia & quidem, quam fortassis necesse fuit
 copiosius? Ad uos hęc pertinent illa OTHO
 & CAROLE, qui nunc in eo uitæ genere uer-
 samini, quod cum per se illustre sit, quasi cal-
 car ad-

car addit tuendæ uobis auitæ paternæq; uirtutis, Nam maiores uestri cum intelligerent, nihil esse humanæ naturæ conuenientius, nihil honestius, quam de ijs optime mereri, à quibus essent quam maximis affecti beneficijs: primum omnia sua quæ habebant, ad Deum autorem grato animo referebant accepta, deinde cum ingentia commoda à patria, infinita bona ex societate ueræ Ecclesiæ perceperint, nullum incommodum pro patria graue putauerunt, nullum deniq; malum pro salute Ecclesiæ suis auerterunt ceruicibus, cogitantes quod reuera sic erat, tolerabilius esse pro uniuersis fortiter dimicare, quam turpiter cum uniuersis interire. Quam obrem & patruus uester IOHANNES etiam inter Christiani nominis acerrimos hostes hac laudabili uoluntate & spe certa munitus, grauissima onera multos annos sustinuit, & cum non solum militari decertandi uirtute, sed etiam togata decernendi ratione antecelleret, sæpe res domi forisq; gessit maximas, quæ & profuerunt Reipublicæ, & post hac etiam multis sunt, illo iam defuncto, pro futuræ. De uestris autem parentibus OTTHONE & HIERONYMO quid dicam? quorum ille cum iusticia & fortitudine insignis, honesto prælio ad Linum Angriuariorum interfuisset, accepto uulnere ab hostibus, diuturno postea morbo consumtus est: hic autem ita

EPIST. NVNCVPAT.

nunc uiuit, ut clarissimorum fratrum decus & uirtutem tueatur superstes, & post obitum titulis fraternæ laudis & gloriæ sine inuidia sit accessurus. In hæc exempla patruï & parentum, uos etiam intuentes, ab ineunte ætate eas artes didicistis, quæ uirtutes cõtinent & officij & bene uiuendi disciplinam. Vt autem posthac etiam cursum studiorum institutum laudabiliter urgeatis, pro mea erga uos fide hortor, ex amore, etiam, si par est, rogo singulari. Nam hoc uobis nunc animo cogitandum est, ut quibus olim rebus non modo possessionum, sed multo magis opum & dignitatum hæreditatem à maioribus uestris sitis occupaturi, earum rerum præsidia maturè comparetis. Quod ad meum laborem attinet, quem iussu spectatæ uirtutis & eruditionis uiri, D. Victorini Strigelij inclitatæ artium facultatis Decani in recitando hoc carmine publice suscepi, ideo nunc illud sub uestri nominis titulo edidi, ut præclarum utriusq; erga hæc studia Poëtica uoluntatem alijs, meam uobis ostenderem. Rectè enim à maximis & celeberrimis familijs, qualis uestra est hodie, Musæ coluntur, ut olim apud posteritatem testimonia uirtuti perhibeant sempiterna. Valete feliciter. Data

Lipsiæ ex nostris ædibus. Anno
salutiferi partus M. D. LXV.

Die Martij x.

Oratio

ORATIO

prima habita in cele-

berrima Academia Lipsensi,

Anno M. D. L X V.

Die Martij X.

Dicere victoris Christi Satanaeque duellum,
Montibus in vastis inter deserta ferarum
Inuia, confectum verbo, & caelestibus armis,
Diuinus menti calor incidit. Vnde mouemus
Principium, tantas aut quò deducimus iras?
Magnum onus, & fragiles superat fiducia vires.
Sed tu sancte Deus, mens & vigor omnia cõplens,
De patre qui prodis, de patris imagine spiras,
Qui mare fouisti iam cum noua terra nataret:
Assere conantem per laudes ire tuorum,
Perque tuas, vestris si rite dicauimus aris,
Inque fide pura crescentis carmina Musæ.
Tu mihi sis praesens, quia te duce scandere culmen
Rupis inaccessæ rigidum, & pinnacula templi,
Hostilesque acies, & praelia scribere, fas est
Mortali, nec enim veras ab origine caussas
Nec tanti seriem belli, te scire negandum est.

Hinc vos angelici, spectatrix turba, ministri

Fidaq; militia pars huius & vndiq; victrix
Agmen, in exhausta perfusi lumine lucis,
Pracones laudumq; Dei, sanctiq; piorum
Custodes hominum, qui vatum premia, lauros,
Pacis, & aeternae monumenta quietis in umbra
Semper florentes primo sub limine caeli
Necitis, & memori fastos transcribitis auro:
Vos caput hoc nostrum victuris cingite sertis
Gestaq; monstrantes annalibus abdita priscis
Heroum veterum, mecum hanc euoluite pugnam.

Tu quoq; Pieridum princeps templiq; sacerdos
(Quod celsa Philyres, fatis poscentibus, vrbe
Saxoniae quondam Septemuir & optimus Heros
Inclita civili Fridericus tempora quercu
Cinctus, ad illustrem Musis sacrauit Elistrum)
Qui praeses, quae prisca sonat monumenta, cathedra
Purpuream Phœbi gestas insignē tiaram
Extremisq; breuem submittis Epomida mitris
Strigeli, genus Heroum, qui numine pleni
Aethereo, Clarias docuere fideliter artes,
Et patefacta duces in verbo sacra secuti
Iusticiae veteri nobis caligine rectas
Monstrauere vias & iter caeleste salutis.
Tu mihi, Musa Deo si dedita nostra meretur,
Victorine, fauens iudex assuesce vocari,
Et tecum doctae suffragia cetera plehis

Attrabe,

*Attrabe, te placido tanti pars maxima cœtus,
Æqua meis faciles præbet conatibus aures.*

*Te vero, sacris Phœbi Meurere repertis
Clare vir, & medicas iam nomen adeptæ per artes,
Te quibus excipiam verbis, quem fama per æuum
Omne vehet, donec laudabile nomen habebit
Rebus in humanis semper pars optima, virtus.
Nam te vir melior non est, nec amantior equi,
Nec grauior, verbiq; Dei, reuerentior ullus,
Tu quoq; certamen sine vi crudele, canenti
Annue, quoq; soles, blando complectere vultu
Iam vix crescentem prima lanugine Musam.*

*Ausus homo vetitis postquam decerpere ramis
Poma, grauem seris latura nepotibus iram,
Ex primo meruit raptari ad tartara lapsu:
Mens æterna, Deus, sortem miseratus iniquam
Humani generis (cui fraus anguina venenum
Faucibus afflarat dirum graueolentis Auerni)
Supplicium, referens, flexas, ad mitius, iras,
Amisssam voluit mundo reparare salutem,
Rursus & in vacuo complere sedilia cœlo.
Vnde genus cecidit nostrum, legio vnde per auras
Spirituum deiecta fuit, quæ trudere natum
De solio, conata Dei, regnisq; paternis
Hunc sibi diuinum blasphema poposcit honorem.*

Nasci-

Nascitur ergo viri Christus sine semine, partu
Virgineo, fragiles Deus immortalis in auras,
Humanae patiens hominum in solatia carnis.
Nam puer exiles nostros sic induit artus,
Ut quod ab aeterno Verbum fuit ante, maneret,
Esse quod inciperet, casto de sanguine matris.
Sumeret, hunc Verbo non degenerante per usum
Corporis, & (rerum series ignosce, rudisq;
Crede fides) vires non amittente priores.
Verus honore Deus, soboles aequaeva parenti,
Altera diuinae pars mentis, origoq; mundi.
Verus homo membris carnalibus, omnia nostra
Naturae similis, quae naturalia, gaudens
In latis, metuensq; mali, nihil excipe, praeter
Peccatum, assumtae sunt integra caetera massa.
Sex prope finierat vitae quinquennia Christus
Incola Iudaeae, cognatos inter amicos,
Tempus erat, talem quo se nunc esse probaret,
Qualis Niliaco fuerat promissus in horto.
Quem Deus, eiectis post crimen triste colonis,
Inuoluit tenebris, clausisq; repagula portis
Addidit, & vigilans ad limina prima ministros.
Ante tamen, certis iussu quam munus obiret
Auspicijs, magnae doctrinae interpretis & autor,
Quae noua tunc multis, sed non noua patribus olim
Visa fuit, quoties spes seminis alta futuri

Inter

Inter oues pinguesq; capros hœdosq; petulcos,
Insomnes in agris minuit solata labores :
Accessit riguam socijs comitantibus vndam
Iordanis, gemini quæ separat ostia fontis
In Libano, durasq; siti fœcundat aristas
Cum latè in sulcos sese diffundit ouantes.

Hic inter pecudes, inculta silentis Adumis,
Engeddi iuxta saltus, deserta colebat
Vatidici dux ille thori, cui gratia nomen
Mite dedit, testisq; Deus præconia summi
Nominis, & nullos, quos altera viderat ætas,
Esse pares magnis donis & honore Prophetas
Veraci late iactauit voce per vrbes.

Ille recens etiam melioris conditor æui
Augurijs monitus templum moremq; sacrorum
Et veteri notas pietate reliquerat aras:
Vt magni fati non inscius ipse, monendo
Promissum heroem mundo venisse, doceret,
Et lucem fulsisse nouam, cui præuius iret
Aduentu prior, & consanguinitate propinquus.
Huic uilem tunicam præbebant terga Cameli
Et zonæ duris cingebant ilia nodis.
Flumina pura sitim, somnum leuis ulua leuabat.
Huic cibus auulsæ ex imis radicibus herbe.
Interdum, puro quod sudat in aëre cœlum
Et crescens folijs pinguentibus excipit arbor

Decussum

Decussum mellis siluestris gluten, & altis
Repere littoribus soliti, victosq; tenaci
Forcipe serpentes tortis comprandere collis,
Soluebant fesso per humum ieiunia cancri.
Ille feros etiam populos ad mitia flexit
Consilia, exososq; nefas, cupidosq; salutis
Rore salutifero, venie in solatia, tinxit.

Iam vicina mari cum Christus in arua veniret,
Constitit ad ripas, olim quibus arca resedit
Fœderis, & siccum Nunides transijt amnem.
Mox tollens oculos, cœtumq; ad nota vagantem
Littora conspiciens: Nūc grande capessere fas est
Munus, ait, veterem nunc instaurare ruinam,
Ne genus hoc tenebris mersum, & Phlegetontis in
Funditus intereat, sic nostri certa voluntas (orco
Stat patris, & regni sic postulat incrementum.
His dictis sese inclinat, vultumq; serenum
Zacharidæ ostendens, ritum officiumq; docentis
Augurijs præsens firmat, flexumq; supinis
Sponte sua, sine labe sacrum caput explicat vndis.
Atq; ministerium dominus seruile, per vsum
Illius, poterat quia stultum ac vile videri,
Arguit assensu cœpisse parentis, idemq;
Cooperante Deo, verbi virtute potentis,
Esse renascendis aptum ac lustrale lauacrum
Pectoribus, fidei pignus cœleste renatis.

Vidus erat, caelum vasto discessit hiatu,
Et iubar insolitum diffundens Solis ab ortu
Solis ad occasus, vtriusq; per æquora ponti,
Qui nostras supra terras & confluit infrà,
Lumine pellucens flumen penetrante repleuit
Iordanis, nautasq; rudes & terruit ambo
Littora, splendentes vox est audita per auras,
Filius hic meus est, patri mihi summa voluptas,
Hunc ego complector, uos hunc audite docentem,
Dixit, & ingentem motu tremefecit Olympum,
Nec mora, per nubes specie simulante columbam
Spiritus, undantis delapsus vertice Christi
Nititur, & niueis stantem circumuolat alis.
O magnum trepidis ô admirabile terris
Prodigium, tellus ô fortunata, beatum
Flumen, in herbosis & qui mysteria ripis
Tot patefacta Dei, presentes singula certis
Auribus hauserunt, oculisq; recepta probarunt.
Si puram nescis sine fine, & origine mentem,
Personisq; tribus distinctum numen in vno
Esse Deum regno dubitas, Iordanis adito
Littus, & astantes hoc ipso in littore testes,
Illic, quod quæris, quod aues audire, videbis.

Fecerat attonitis subitum res mira stuporem,
Murmure cum dubio limosum personat amnem
Clamor, & vnde modo tremulum per inane fugatis
Nimborum

Nimborum nebulis terras lux orta stupentes
Perculit, ad celsos, Vrsarum signa, Triones
Vulgus verba refert, exultantesq; fatigat
Applausu super astra manus, visumq; secundis
Excipit augurium votis gemituq; salutat.

Omne iam certus magno & lustralibus vndis,
Aeterni Christus titulos doctoris adeptus,
Sese subducens tacitis orantia mouit
Labra sonis, patrium aspiciens per nubila coelum,
Officij viteq; memor, quam deinde sequendam
Admonitus signis, animo secum exigit alto.
Quo se cunq; trahat miserum retrahatq; potentis
Decretum fati, & primi patris impius error.
Has inter curas dum cor frontemq; serenat
Diuina spe letus opis, fidensq; salutis,
Ecce sacro flatu celeres agitante per auras
Tollitur, & longum per iter circum aera vectus
In saltus nemorum vacuos ac lustra ferarum
Fertur, vt incultae iuga vasta frequentet Eremitae,
Et quondam exuto stygium victurus Auerno
Prædonem, leuibus primum experiatur in armis
Tyro rudimentum, & magnis se praearet ausis.
Non erat hinc vrsos inter rabidosq; leones
Non inter tygres metus aut spes vlla rapinae,
Non hinc terrorem aut animos factura viriles
Quae quondam stabant Sochetæo barbara monte
Castræ

Castra Philistæ gentis, cum Marte duellum
Impare suscipiens Gathiten ore proteruum
Isaides clypeo indutum telisq; ferocem
Deiecit saxo, quod fregit in ora Gygantis,
Dissecuitq; fera caput à ceruice cruentum.
Non erat hîc miles nitidis Memphiticus armis,
Dextra cui Deus & telum est, qui uoce minatus
Ioiadæ meritam oppetijt per vulnera mortem.
Hostis erat, nunquam ferro metuendus & arcu,
Seuior insidijs, ac technis mille nocendi,
Qui primæ tumido desertor originis ausu
Degener, ex summo rerum molimine nostros,
Excidit vnde prior, deiecit fraude parentes.
Congressu primo incautis lethale venenum
Suauiter aspirat, quod postquam corde resedit,
Intima distribuens sese in penetralia mentis,
Heu mihi, progreditur, vix tunc medicabile cura
Tunc læsa fixas euellere parte sagittas
Hic labor hoc opus est, ea nam victoria paucis
Contigit, & nullis, nisi quos Deus æquus amauit,
Aut animosa fides Christo duce vexit in altum.
Vsque adeo furit, & sceleris nil linquit inausum
Hostis, & in tantas humana potentia vires
Nulla satis magna est, gaudet miscere supremis
Infima, si nequeat terras, Acheronta moueret.
Nunquam illi genus hoc lædendi certa voluntas

B Defuit,

Defuit, ipsa tamen raro est concessa potestas.
Si mihi sint centum linguae, non dicere possim
Omnia technarum distinctis nomina formis.
Quod si facta notis fas est comprehendere paucis
Multa, fuit mendax homicidaq, semper, ab illo
Tempore, quo miseram verbis fallacibus Euam
Perdidit, & tristes, mortali ex stirpe, Cainum
Primitias hominum, furijs odijsq, nefandis
Impulit, vt sacras fraternae funere cadis
Oblitus patris atq, Dei, conspergeret aras.
Hanc tellus gremio mortem exceptura dolenti
Horruit, officijq, genus crudele negauit
Sanguinis impatiens, & maluit imbre rigari,
Martyris innocuum quam desiccare cruorem.

Vis inimica patet, nunc quae discordia reges
Vexet, & vnde animis veniant caelestibus irae
Quae pugnae species, quae sit petulantia victi,
Gloria victoris, quae tanti forma triumphi
Hinc canere incipiam, mihi tu sanctissima virtus
Qui prodis ab utroq, Deus, natoq, parentem
Iungis, & aeterno perfundis amore duorum
Pectora, leticiae pater, effectorq, quietis.
Tu nunc prima mihi pandas exordia belli,
Meq, per ignotas errantem Spiritus oras
Dirige, nam sine te nihil est, tentare quod ausim.

Principium

Principium fati, dux luminis, arbiter æui
Phæbus, in obliqui curuamine tramitis alto
Inflextebat equos, & te Capricorne relicto
Transibat iuuenem, media qui prominet aluo,
Et plena nubes irritat aquarius Vrna:
Aspera cum saxis reptans per inhospita Christus
Lustra, Dei monitu, iam per spelea ferarum
Deuia non nota cœpit regione vagari.
Viginti bis clara dies aurora fugarat,
Totq̃ pruinose moderatrix Cynthia noctis
Attulerat fessis obscura crepuscula terris.
Humorum victu steriles ieiunia venas
Acrida traxerunt, illæ sũdere propinqua
Membra, per alternos in sicco corpore motus.
Quid faceret? diuturna fames, sine frugibus agri,
Et locus extorris, viduataq̃ rura colonis,
Præsentem (ratio si iudicet) omnia mortem
Intentant, subitæ spes extat nulla salutis.
Hosti erat in votis & structæ commoda fraudi
Illa dies, nunc ipse capit tela, improba tela,
Et simul accedens verbis illudit amicis.
Tũne ille es Christus, sine semine virgo virili
Quem peperit mundo, mundi rerumq̃ creator,
Tũne Deus prognate Deo, qui condita seruat
Ex nihilo, præbetq̃ feris animantibus escam?
Vt nunc ipse vides his saltibus ire caterua

Luxuriante pecus, tibi nulla alimenta relinqui.
Credo equidem, nec stulta fides, carissima patris
Tu soboles, patris æterni tu sola voluptas,
Nunc moritura fame, nunc putre futura cadauer
Carniuoris cibus alitibus, brutisq; rapina,
Si tamen es veterum de stirpe propago deorum,
Si quem ficta tibi maiestas addit honorem,
Aut potes aut factò vis omnipotente tueri :
In panes hæc ipsa iube mollescere saxa,
Vt comedas, & nota mihi tua fiat origo.

Vix ea fatus erat, cùm crebris abdita dumis
Proruit, & latè crepitantes verberat auras
Pallida compressis oculis habituq; dolentis
Non ignara suæ iam diffidentia sortis
Cominus hanc sequitur gremio præcincta capaci
Cura parandarum vel opum, vel ventris alendi,
Serua, rapax, spolijs gaudens, & dedita furtis
Inter opes quæ semper inops, luctuq; perenni
Tristis, & argenti quò plus habet, acrius instat
Diuitijs male quasitis explere crumenas.

Hinc metus, anxietas, pallor, periuria, fraudes,
Insomnes luctus, gressum comitantur euntis.

Hæc postquam vidit furiarum monstra, vel ipso
Nomina dira sono. Num sic ad prælia veni
Christus ait, multis vt septus ab hostibus vnus
Sufficiam, victorq; feram cum laude triumphos.

Et tamen

Et tamen hoc potius certo Deus omine firmet,
Et nostris vires & vulnera suggerat armis.
His secum, & Satana, quid me seuiſſime terres,
Inquit, & ambiguum ſimulas in origine noſtra
Autorem, nec origo mihi eſt, ſed imago perennis
Sum patris æterni, uerus modo uirginæ caſta
Natus homo, quod utrunq; patet, uirtute latentī
Longa (nec inficior) Deus hæc iciunia uici.
Arguit eſuries hominem. Sperare ſalutem
Pane quidem fas eſt, ſed non ſeruare neceſſe eſt,
Fortius omne Dei uerbum, quod ab ore potenti
Illius egreditur. Cum non externa ſuperſunt
Præſidia, à ſolo uerbo pendere beatum eſt.

His dictis, monſtri comitatus, Erynnies atra
Gliſcentes inſtant affuſo ſanguine uenas,
Armaq; certa, quibus totum uictricibus orbem
Conſciant, hæc arma parant, ſtringuntq; minaces.

Hos ubi (nam liquidas ſonitu fragor impulit
In dubijs animoſa fides, fideiq; ſorores (auras)
Cognouere dolos, glomerantibus ocyus Euris
Accelerant, mox ante alias ſe prima uidentam
Exhibet, arripiens in agro quod forte iacebat
Paſtorale pedum, tot ſola uiriliter hoſtes
Aggreſſura Fides, in tantis immemor auſis
Ipsa ſui, nec enim capitis tutela, trilici
Curuamen galea, uenientes excipit ictus,

Aerea nec vires plagis lorica fatigat.
Nuda manus, latosq; humeros, exerta lacertos;
Altius insurgit trepidans, nodisq; grauatum
Conatu magno (nam non alia arma dabantur)
Robur in aduersas iacit indignata phalanges.

At Furie, cum nulla fugæ spes, nulla salutis,
Ilicet ad patrias, orco stirps edita, fraudes
Accedunt, atraq; tegunt caligine siluas
Et fumum mistis inuoluunt igne tenebris.

Non tulit ulterius, quæ credere rebus in arctis
Sueta Deo, sed se medium dea læta per agmen
Precipiti iecit saltu, densissima noctem
Fumiferam quæ flamma trahit, nebulamq; micantem
Prima fuit belli victoria, prima cruenti (tem.
Pars operis, vultu portentum infame pudendo.
Immemor auctoris, qui fecit & omnia seruat.
Bellua, diffidens certis, metuensq; malorum,
Presidijs intenta vagis, res captat inanes.
Hanc simul ac tortis, incendia sæua vomentem
Faucibus arripuit: fractos sinuauit in orbem
Gutturis arctati grauidosq; cruore meatus.
Protinus æria suffixum rupe, patenti
Ostendit monstrum cælo; nutuq; sorores
Increpat, ut veniant in opem partemq; laborum.
Nec mora, quæ latebris sese occultarat opactis,
Sensit auariciam steriles fugisse per agros

Vicinam

Vicinam in vallem, densis vbi plurima ramis
Silua iacit tenebras, & per iuga turbidus auro
Cuius aquae inflammant, nec sunt potare salubres,
Riuulus eiectas vtrimq; colorat arenas.

Huc postquam venere Dea, properantius aura,
Mollibus indicatijs vestigia trita secuta,
Ecce per umbrosas, iam nil hostile timentem
(Lamina quâ tenui nitet aurea flumine) ripas,
Et fuluos madida siccantem veste lapillos
Agnoscent, lateq; vocant, fugit illa sequentes.

Intempestiuae sed onus fatale rapinae
In medio fessam cursu deiecit, & ambas
Tollentem palmas necquicquam & multa rogan-
Auxiliatrices inter iam prima puellas (tem,
Et veneranda Fides diram complexa Podargen
Corripuit, solidisq; manus & corpus onustum
Quercubus allisit. Mox teter ab ossibus humor
Spargitur impuris, & amictos gramine campos
Polluit attactus, vicinas halitus auras.

Mors oculos vitae cupidos animamq; malignam
Per gemitus toties iteratos longa fatigat.
Turpe superpositis inter dumeta cadaver
Obruitur saxi, & fraxinus ardua ramis
Vndiq; decisis, seruat monumenta trophæi.

Interea primo Christus dum victor Eoo
Vota patri supplex soluit, terraq; volutus

Ieiuno repetita trahit suspiria corde,
Et prece dumosam cum rupibus implet Eremum.
Rursus arenoso gradiens de monte per umbras,
Quas vtrinq; nemus salicum praebebat opacum,
Hostis adest, fraudisq; nouae fabricator, inermes
Abditus arboribus terret clamore volucres,
Verbaq; per siluas nil proficentia fundit,
Quaeq; leues secum rapiunt procul irrita venti.
En iterum miles, (saltem felicibus opto
Auspicijs) noua bella paro, mihi caetera nullam
Facta ferant laudem, modo vertere terga coacto
Ante mihi, liceat semel insultare tyranno,
Et talem manes fortunam ferre sub imos.
Si verò nimium iam victa potentia languet
Nostra, nec exuuijs possum spoliare latronem,
Quanquam ô, si solita quicquã mihi sortis adesset,
Delitijs animum tamen his explesse iuuabit.
Si potuisse mihi non fas, pro laude voluntas
Certat, & ambiguo conatus sine probari,
Siue mihi noceant, seu sint bona fata, meretur.
In magnis aliquid magnum tentare, decorum est.
Talibus incedit per densa salicta proteruus
Ore Satan, celeresq; sagaci pectore motus
Concipit, & curas nunc huc, nunc diuidit illuc.
Forte sub herbosa Christum tellure iacentem
Vidit, & an nostris hoc non satis vtile caeptis
Tempus,

Tempus, ait, certe magnis mora fraudibus obstat.
Ergo per insuetas vectum super aëra terras
Montibus ex vastis ad mania detulit vrbis
Hospite digna Deo quondam quæ sancta vocari
Cæpta, pio: propter cultus sacrosq̄, Prophetas:
Arreptumq̄, super statuit fastigia templi
Summa, pruinosas superante cacumine nubes.
Et simul assistens illi sic mollibus infit
Vocibus, & placido simulat super omnia vultu
Blandus amicitiam, premit iras corde tenaces.

Fama tua si non mendax in origine ludit,
Si trahis è cælo genus altum, cara parenti
Certaq̄, progenies, hinc te submitte per auras
Præcipitem, insoliti non hæc erit infima facti
Gloria, diuini nec futile pignus honoris.
Prodigij nouitas, populi spectantis amorem,
Magnorumq̄, ducum cupidas demissa per aures,
Nomen apud rerum dominos latura potentes,
Euentu iam certa tuæ primordia stirpis
Reddet, & indicio multū manifesta probabit.
Et Deus angelicis de te tulit ipse ministris
Mandatum, ne quem salebrosa per inuia ladas
Forte pedem, gestent manibus, quocunq̄, feraris.

Dixerat hæc paucis mendax & hypocrita, veri
Corruptor Behemoth, erroris idoneus autor.
Nec tot imaginib. modo sus, modo frigidus anguis

Vel quascunq; alias doctus simulare figuras
Omnia transformat sese in miracula Protheus,
Nec sic assumens tetigit quoscunq; colores
Bellua, quæ nautis illudit, & obuia vitat
Retia, dum tecta venantes fraude fatigat,
Multiplices rerum maculas, scopulosq; bifformes
Induit, & facies metuens se vertit in omnes:
Ut Belial, mundi princeps, quem nulla prioris,
Præteriti memorem, fugit abdita temporis ætas
Nulla secuturi, se per compendia mira
Aptus in ambiguas mutat fallaciter artes
Antè fuit curæ monitor commune petentis
Præsidium, solitaq; Deo diffidere, rerum
Autori, implumes nido pipilantis alumnos
Passeris, & corui pullos crocitantis, alenti:
Tunc erat, (in solis cum per deserta ferarum
Lustra iugis, nec ager victum, nec flumina potum
Præberent, & membra fames exhausta voraret)
Nomen inane pater, fictusq; propaginis autor,
Tunc hostis, quem nulla fides & cura paterna
Tangat, & auxiliij cui sit vis nulla ferendi.
Nunc secum pugnans fraudis velut ante nefanda
Inscius, immemori contraria suggerit ore.
Nunc pater & Deus est, præsens, ad opemq; para-
Nunc coniurata, cælestis turba, cateruæ (tus,
Sunt præsto, nunc his custodia credita nati.

Interea

Interea has magno sequitur conamine partes,
Et fera deducit celeres in praelia turmas
Ambitio demens & honorum caeca cupido.
Cui formosa nitet facies, & eburnea cervix
Obductos auro spargit post terga capillos.
Ex humeris longo pendet peregrina recessu
Purpura, quae gemmis, quas æquoris vnda rubentis
Et Tagus illimi preciosas gignit arena,
Aspera collucet, radijsq; micantibus orbes
Solis & astorum vincit, splendoreq; nubes
Scindit, & aspectus hebetando morantibus aufert.

Illam quidem vultu præstans & amabilis ore
Non alijs assueta malis aut pectora frangi
Nescia blanditijs (vis huius tanta furoris)
Torquet amore sui, tandem spe ludit amantes
Fallaci, tristiq; procos ignobile scortum
Humanis fatum per inextricabile curis
Implicat exitio, pœnaq; fatigat acerba.

Pone loco graditur late propiore per aulas
Undiq; conspicuum sed non durabile spectrum
Gloria, quæ raro terris vaga deiicit imis
Lumina, sed vastis sublatum nubibus æquat
Alta caput, sterilemq; rubris compressat arenam
Sandalijs, mollesq; procul trahit effera passus.

Huic comes insequitur, niveos quæ nuda lacertos
Vitæ contemtrix propriæ sortisq; virago,

Sæpe

Sæpe per insomnes aliena negocia noctes
Exercet, multisq̄, simul breue tempus agendis
Rebus, & exiguas fallit sermonibus horas.
Sæpe per astute contractas vndiq̄, rixas
Otia turbatrix tranquilla grata quietis
Rumpit, & iratos trahit in fera prælia ciues
Inde, modo figens oculos tellure morantes,
Et modo subtiles inter præcordia sensus
Excutiens, cælo volitantes imprimit ictus
Luminis erecti, stultæ sapientia carnis.
Hæc per pinnatas vbi conspiciat agmina turres
Se pugnae partem socijs plaudentibus addit
Iusticiæ præses, multum iactantis hiulco
Gutture, cum vicijs rigidis certamen honesti,
Et vitæ quondam præconia puriter actæ.
His nouitatis amans amensq̄, & opinio fallax
Accedit furijs, niueasq̄, argentea plumas,
Qua patet aërium rutilante cacumen in vmbra,
Ingentis circum sublimia mœnia templi
Præuia duxq̄, volat, quo non truculentius orco
Damnatis monstrum terris eiecit Auernus.
Illa tenax iræ celeris, fastusq̄, superbi
Inuidiaq̄, parens, quidquid sublime per auras
Altius euehitur, crudelibus opprimit ausis,
Sæpe vel in minimis laudatrix impia nugis,
Et quoties aliquid magnum & mirabile multis,
Iudice

Iudice vix illa dici mediocre meretur.

*Has rerum pestes in fœdera callidus hostis
Conduxit, turbæ fidens, certusq̄, triumphî.*

*Nec mora, (quid facerent aliud tot Erynnies,
Progenies) densas tangenti vertice nubes (orci
Et sacrum heroi libranti corpus in aura
Se iungunt, pars molle caput plaudentibus alis
Infestat, strepituq̄, premit, ceruice supina
Pars latos humeros & terga sacrata molestat.
Diuersis diuersa locis se castra reponunt,
Omnibus vna tamen vis est eademq̄, nocendi
Si vel fraude queant, vel aperto Marte, volûtas.
Vtq̄, magis, cautè quod agunt, felicibus ausis
Vtiliter sperent, medicatis crustula succis
Aspera mollificant, & quidquid vbiq̄, malorum
Rebus in humanis oritur, per singula sparsis
Membra minutatim guttis fallaciter addunt.
Quale fuisse ferunt, quod subdolus anguis in horto,
Cum pietas genialis adhuc, & nuda vigeret
Simplicitas, stygia lethale palude venenum
Miscuit, & dirum pro cognitione furorem,
Pro vita mortem, pro maiestate labores
Attulit, & miseri primis autoribus aui
Extremam peperit, qui nos genuere, ruinam :
Tale fuit, diræ quod spirauere sorores
Virus, & in massam succis variantibus vnâ
Collegere*

Collegere nocens, & ab ipsis pestile formis.

Hos igitur mitis virgo, patiensq; dolorum
Vt videt insultus, bellumq; tot hostibus impar
Mens humilis, placidi virtus moderaminis autor
Et regina quidem, sed egens linoq; decorum
Corpus amicta breui, quæ nunc vix vltima raras
Quâ mundi solers habitatur machina, sedes
Possidet, & fugiens terras sub pectore Christi
Grata latet, domini comes & pars fida per omnes
Fortunæ casus, Nihil amplius illa moratur,
Sed iustum toties capit irritata furorem
Vnaq; proceras, Erebi genus acre, cohortes
Oppressura, preces pro mente, puella virili
Pro galea, & duris manicis suspiria fundit,
Iamq; vagum euentu Martem expertura virago
Irruit, hostiles subito tremor occupat artus
Excussumq; metu, testa quod forte gerebat
Ambitio princeps, in publica damna per auras
Labitur, & totam, Lernæo sæuius, urbem
Polluit, & tristi loca proxima virus odore
Replet, & infecta teneros fugientia sensus
Putridus Auster humo dispergit semina labis.

At funesta phalanx animo trepidante sub altis
Turribus, & latebras præruptis quærere saxis.
Sed postquam profugæ nullas nec saxa, nec ipsæ
Promittunt turres, sine nube per aëra purum

Visa

Visa fuit Latias in Teutona regna per oras
Præcipites motare notis spirantibus alas.
Vnde tot (heu patriæ) sunt infelicia bella,
Et latos vastant plus quam ciuilia campos,
Vnde tot autores importuniq; magistri
Hæreseôn tenerasq; scholas & sancta cruentant
Templa, per audacis conuicia friuola linguæ.
Nil tam blasphemum est, quod non reperire patro
Possit in his terris, inuentoriq; fauorem (num
Applausumq; ferat populi sine mente vagantis.
O nostris quantum nocuit contentio rebus,
Quæ viles quondam creuerunt pace, sed armis
Ingentes pereunt misero discordibus æuo.
Heu mihi, vera cano, primatus sæua libido
Perdidit & reges & magnas perdidit vrbes,
Hactenus illa sacras etiam prorepsit in aras,
Iamq; sacerdotes Christi verbiq; ministros
Concitat, ædituus veteris sectator amici
Presbyterum, inq; vices pastorem presbyter odit.
O pax, ô sæpe impediens Patientia litem,
Pacis alumna redi, tecum regina ruentem
Mens humilis patriam cælo delapsa reuisat.
Concordes animæ, vitæ tria fulcra beatæ,
Pellite monstrosas furias & inutile bellum
Ultra Sauromatas septena vel ostia Nili.
Qui melius perdi possint, fera Thracia præbet,

Et

Et quondam diues sed nunc seruilis Idume.
Iam satis vltices damnis exhaustimus iras
Et vindicta modum, si pœna est crimine maior,
Forsitan excedet, profit quod conscia recti
Crescat adhuc scopulis hærens Ecclesia nostris.
Ut placida saltem venturi pace nepotis
Christo cultores Ecclesia, patria ciues
Educat, & longos numeret concorditer annos.

Interea victis ac in diuersa fugatis
Inde satellitibus, spem præfert ore, sed altum
Corde gerit, spirante dolos cadesq;, dolorem
Et leuis, aprico circumuolat æthere Christum
Tentator Dæmon, & paucis molliter instat.
Cum via deiectu facilis, cum tuta, per auras
Solaq;, præcipiti se iactet in æra lapsu,
Tale Dei, nomen maiestatemq;, decere
Omnipotentis opus, miracula scilicet vsu
Cætera perpetuo vilescere, cuncta tenorem
Naturæ partes similem retinere per omnes.

Vix ita finierat Satanus, nec plura moratus,
Improbe consilijs & futilis autor habendis,
Christus ait, quid tale nefas, quid inutile stirpis
Indicium monstras, argumentumq;, fauoris?
Non etenim vires supra, contraq;, seueram
Regula quam dicitat communis, tendere normam
Priuato fas est homini, tutissima semper

Sola

Sola via est, Deus expressa quã voce sequendam
Imperat, à medijs recte & diuinitus vti
Concessis, ausu discedere velle nefando
Crimen habet, tentare Deum, proprijsq; superbè
Viribus inniti, stulta hæc petulantia mentis
Flebile sæpe malum parit & commune periculum.
Si qua suis elata bonis, mortalibus vlla est
Immemor autoris, non est sapientia felix.
Inuia cur igitur me nunc per inania saltu
Deiciam, ad templi cum sit penetrabile theatrum
Descensus pronus positus ex ordine scalis?

Hostis vt elusas aduerso Marte sagittas
Defecisse videt, sua nunc sine vulnere tela
Irrita iactari, nil tantis viribus actum,
Auxiliatrices acie non stare cateruas,
Omnia nequicquam molimina tristibus ausis
Tentari, magno sese ter in æthera vibrat
Conatu, tractoq; vagus latissima gyro
Climata terrarum celeri notat vndiq; visu.
Qualis in æria pennis regione moratur
Accipiter stimulante fame, camposq; patentes
Desuper obseruans, præsentibus omnia lustrat
Rura sagax oculis, & flumina nota petentem
Insequitur longe per nubila densa columbam,
Quæ simul ac molli sitiens consedit arena,
Extemplo venti stridorem aurasq; sonantes

C

Exci-

Excipit, & celeres inter saliceta per Euros
Abdita, crudelem fugiens praeuertitur hostem.
Intempestivæ tunc spe frustrata rapinæ
Venatrix avium, motis sua verberat alis
Pectora, cui sicci ventris dolor excitat iram,
Ira resultantes lugubri carmine colles
Implet, & herbosas valles silvasq; fatigat.
Talis erat Satanae rabies, sic ille per auras
Errabunda vago torsit vestigia motu,
Incertus quid agat, quæ callidus improba tandem
Consilia irritet, quibus experiatur in armis.
Nec mora, correptum dumosa per inuia silvis
Et loca nubifero Christum per amica vapori
Detulit in montem, qui vertice sidera lambit,
Cuius in extrema veterum cultura Deorum
Sanguine fumantes, quas ante sacrauerat, aras
Sede frequentabat, templiq; quod ipsa rotundum
Condidit, oblongo corpus deforme cucullo
Indutus servat mores ritusq; sacerdos.
Parte sub aduersa, quæ respicit impia gentis
Regna Palestinae, blasphemia dira sacellum
Incolit, horrendum visu monstrumq; trifforme,
Nomina nam mentis diuinæ terna sub vno
Numine vaniloquis infestat futile dictis.
Cuius ab ore tument centum spirantia linguas
Gutturæ, Niliacis semper suffusa venenis

Plana

Plana sub crectis liuent tabulata trophœis,
Tabida posticulas sudantes ora cruentant,
Florentes quæ dogma nouum sparsere per vrbes,
Et quæ peccarunt per membra, per illa luerunt
Supplicium, linguæq; fuit blasphemæ vomentis
Iusta vel effracto collo, vel pœna rescisis
Faucibus, his iactat sese domus illa tapetis.

Vix Asmodeus per acutos vndiq; sentes
Constitit in tumulis, quos tunc ascenderit, altis
Vnde patet mare diffusum suffultaq; muris
Æquoreis tellus, cum vocibus ora resoluit
Talibus, astute captans exordia fandi
Blanda, per exorsus, nil proficientia, molles.
Si tamen esset homo solus, soli q; relictus
Ipse sibi Christus, mentem motura virilem.
Maxima regna vides, mundi q; potentis honorem
Vndiq; conspicuum, cuius ius omne regendi
Me penes est vnum, mea sunt, ego transfero solus
Imperia, excussis priscis noua fata colonis
Condo, nec est alius toto me præter in orbe
Cuius ab immenso sit robore tanta potestas.
Huius ego certa positum sub lege, creabo
Te dominum, te constituam super omnia regem,
Si mihi succumbas, si me prostratus adores
Hoc ipso, mecum quem nunc pede tangis, in agro.

Hæc simul arridens tentator dixit, & ore
Conticuit presso, cum verbis vltima Christus
Verba redargueret. Blasphemias desine voces
Pectore moliri toties impune proteruo,
Arrepta sed cede fuga, quid abuteris alto
Nomine. Personis Deus vno in numine trinus,
Vnus & in triplici, simplex Deus, arbiter æui,
Solutus adorari pro maiestate meretur,
Qua regit, humanos quas ante creauit ad vsus
Artifici rerum figmento mille figuras.
Nondum desierat, cum se spectabilis auro
Nomen ab Idolis veterum sortita sacrorum
Se regina pedes saltem comitata senili
Auspice proripuit, blandis interrita verbis
Confidens nimium, prisci non immemor æui,
Quo genus humanum cupide simulacra colebat.
Hanc vbi conspexit linguis armata trifulcis
Surgit in auxilium, sperans blasphemia prædam.
Et pede surgentes immani proterit herbas
Quâ graditur carpitq; viam, quâ spirat, onustis
Arboribus fructum defædat, germina campis.
Mox è longinquo cum densas nube per vmbas
Agnouit geminas stygij rex degener Orci
Substitit, & lento tardus vestigia gressu
Dum trahit, interdum frondente sub arbore teelus
Respiciens fugiensq; simul, noua gaudia versat.
Auxilioq;

Auxilioq̄ potest̄ viso sperare triumphum.

*Sed Phlegetontao latrone potentior Heros
Impositurus erat metam finemq̄ furori
Christus, & imperio, quo cuncta creata gubernat,
Igne coruscantes numeroſo milite cætus
Euocat, & fortes hortatur in arma ministros.*

*Protinus æthereo sub tramite visa nitere
Lux inopina fuit, quâ lato est̄ circulus orbe
Sectus in obliquum, cælum hac splendentibus auris
Fulsit, & angelicæ sine corpore turba cateruæ
Per iuga turmatim glomerat̄ sese alta frequentes.*

*Hæc ubi conspexit volitantia nubibus arma
Hostis, & obsessum crebris montem vndiq̄, flammis
Spirituum, nebulam simulans sub rupe cauata
Indignata leues euauit vmbra per auras,
Et simul ingratos crepitu dispersit odores.*

*Interea trepidare fuga, loca querere nigris
Abdita dumetis, discurrere vertice lato
Indigenæ montis, qua sentibus vndiq̄, plenis
Rara per arcanos apparet semita calles.
Tandem præcipites sese occultare cauernis
A leua positis, atq̄ hîc sperare latebras.
Iamq̄ introgressi, suffultos obice postes
Ingenti saxo, quod forte pependit in alto
Speluncæ dorso, cura tutantur inani.
Namq̄ duo, pro laude Dei præstantibus ausis*

Cælestes animi, blasphemus fortiter hostes
Vincere consueti, bello quondam inclita virtus,
Cum fuit Assyrio madefacta cruore per agros
Terra Palæstinos, promittentiq; salutem
Amosidæ Achasides templo prostratus ad aram
Credidit, & multa Rabsacen voce superbum
Solutus & armatum magno agmine vicit inermis.
Hi duo flagitij memores pugnaq; prioris,
Ilicet à tergo vestigia fæda sequentes
Accurrunt, rutilis induti pectora flammis,
Extemploq; domum foribus rupemq; reuulsis
Disijciunt, radiosq; umbrosa per antra micantes.
Lux inopina metu pallentes territat umbras,
Ipsæ omnem fremitu montem, vastoq; sonore
Ingentes circa replent ad sidera colles.
Ergo, quid facerent aliud, caliginis hostes
Flammantes animi, captiuas inde rapinas
Ostentant cælo, nexis adamante catenis.
Iam medias inter turmas producta steterunt
Monstra, nec vlla fugæ spes, nec victoria victis
Expectanda fuit, cum rictu dira patenti
Guttura diductis traherent immania venis,
Alternisq; grauem latratibus æthera cæli
Implerent, spumis virides albensibus agros.
Protinus ingentes sensit sub pectore motus
Angelus irato, qui subruit vrbis ab imo

Funda-

Fundamenta solo, & muros concussit Aphecca,
Cum murisq; hominum viginti millia septem
Et vasto quondam Syrios inuoluit hiatu,
Benhadadæ ac regum quater octo castra secutos.
Nec mora, nec quicquam trepidantes, impia circum
Ilia, complexus furias, per saxa, per auras
Collibus ex altis lapidosa sub inuia terra
Præcipitem in vallem deiecit, & aëre turpes
Suffocante gulas, vitam hostibus ultor ademit.

F I N I S .

C 4

NOBI-



NOBILISSIMIS
PUERIS, OPTIMAE
SPEI ATQUE INDOLIS, HI-
OBO ET GEVSLERO, ITEM, DITTERICO
ET OTHONI IUNIORI, A DISCAV,
fratribus Germanis & pa-
truelibus, &c.

IACOBVS STRASBURGVS

S. D. P.



GESILAVS Archidami filius,
celeberrimus ille Lacedæmoni-
orum rex, & fortissimus Heros,
aliquando interrogatus, quæ po-
tissimum pueris essent discen-
da: Ea dixit, ingenuos discere pueros oportet, quæ illis utilia sint, cum ad uirilem ætatem peruenerint. Præclara certe & tanto uiro digna oratio, qui cum præfesset graui & opulento imperio, non minus exemplo morum, quam executione statutorum patriæ fuit clarissimus: siquidem nihil lege ulla in alios sanctum uoluit experiri, cuius non ipse primus in se documenta daret. Cum igitur in cæteris uitæ partibus exerceret iusticiam & omnia rectè honestèq; uiuendi officia, seueriorè
etiam

etiam iuuentutis institutionem sapienter flagitavit, & ipse sua uoce, ciuibus, quos prudentia & obsequio regebat, quasi normam præscripsit disciplinæ, quam in educatione suæ familiæ censuit adhibendam. Vtinam hoc tempore apud nos idem fieret, certè leges honestæ & bonæ nostris hominibus non desunt, desunt autem homines legibus, qui uel illarum ministerio puniant contumaces, uel pia quadam reuerentia se frenis obedientiæ patiantur contineri. Vnde Magistratum autoritas labefactatur, uirtutis studium amittitur, hinc secuta impudentia parit audaciam, audacia barbariem, barbaries infinitam affert in tota uita confusionem. Nemo quidē adeo malus est siue gubernator siue parens, ut, quamuis ipse sit dissolutior, nullam capiat uoluptatem ex subditorum moderatione aut modestia liberorum. Sed quotus quisque est, qui ita suas instituat rationes, ut quod ipse fieri cupiat, suo, cum possit, labore efficiat. Maior certe apud Ethnicos & grauior fuit honestatis cura, cum in ijs, qui imperarunt, tum in alijs, qui imperijs paruerunt, quam nunc apud nos, qui castissimæ sanctitatis & integerrimi candoris in nostris maioribus exempla habemus quam plurima, & uerbo Dei abundanter instituti, iusticiam eius in pœnis improborum, & in piorum præmijs misericordiam quotidie experimur.

EPISTOLA

Sed de publicis miserijs conqueri nobis libet, mutare in ijs aliquid sine Deo non licet, atque etiam optare quidem meliora debemus, in tanta autem iudiciorum uarietate & animorum distractione sperare non possumus. Quamobrem ferenda sunt ea forti animo, quæ quasi fatali ruina nobis impendent, & interim danda tamen, amantibus salutem patriæ (quamuis hoc tempore tales sint pauciores) ut contra huius seculi mores & labem, ueteris disciplinæ seueritatem instaurare annitantur. In hoc perquam exiguo bonorum numero, nobilissimi pueri, fuisse etiam atque esse uestros parentes, reliquorum in quibus adhuc quædam uirtutis admiratio inest, consensus affirmat, & ipsa experientia non uulgaris contestatur. Nam maximis sumptibus uniuersi ac singuli in ijs studijs educamini, quibus nihil est honestius, nihil ad externa uitæ præsidia & summum dignitatis splendorem, accommodatius. Merito igitur speramus ea exercitia, cum ad intelligentiæ perfectionem & uirilem ætatem Deo iuuante, perueneritis, magnopere non tantum uobis, sed patriæ aliquando profutura. In hac igitur laudabili cursu, ut in uobis discendi amorem mea hortatione excitarerem, uolui hoc, quidquid est, meæ industriæ iudicium, cum honore nominis etiam uestri diuulgare,

NVNCVPATORIA.

diulgare, ne, cum alijs, qui aut fraternita-
tis uinculo, aut consanguinitatis fœdere uo-
bis sunt coniuncti, uoluerim gratificari, uos
sine caussa uidear neglexisse. Valet
feliciter. Lipsiæ ex nostris ædi-
bus, XXI. Aprilis. An-
no salutiferi par-
tus,

M. D. LXV.

ORATIO



O R A T I O

secunda, in qua est hypotyposis iudicij diuini contra lapsum hominem, &c. Habita Anno salutariferi partus M. D. LXV.
Die Aprilis XXI.

Flebile iudicium cæli, primosq; parentes
Iusticia damnante reos, caussamq; secuta
Mortis, & autorem nostræ dominumq; salutis
Dicere conamur. Pietas & amabile veris
Admonitrix operumq; Dei veterisq; ruinæ
Tempus, in hæc lapsa quondam procul abdita mun-
Consilia ire iubet, tristesq; reuoluere casus. (do
Tu mihi flammantes inter præcordia motus
Conijce, vitales tu dilue, Spiritus, auras
Intemerate Deus, nam te mihi si qua serena
Mentis & ingenij, crescit tribuente facultas.
Quod sum, quod spiro, vitam quod spero beatam
Munus id omne tuū est, mihi deme, quod ante de-
Terræ puluis ero rudis, & sine nomine moles. (disti,
Tu quoq; Pieridum decus & tutela sororum
Lipsiæ pars magna scholæ, iuuenumq; voluptas
Victorine, meos inter memorande patronos
Qui modo Pieriæ præses cum laude cathedræ

Sole

Sole vias hodie medias superante, tiaram
Purpuream, & niuea deponis Epomida mitra :
Accipe, supremum supremo in honore laborem.
Tempus erit cum plura leges, nostrisq; legèris
Versibus, & memori quondam laudaberis auro,
Nunc virtus præsens multis inuisa, sed olim
Sera requiretur nullo mercabilis auro.
Interea veniente die, tenebrisq; coortis
Molliter arguta modulamine vocis in vmbra
Grata Deo Philomela canas, magniq; Philippi
Æmula, diuinum certes superare magistrum.
Tu vero medicas multo cui dirigit vsu
Cognitio pietasq; manus Meurere, fidelis
Semper habende loco patris mihi, gloria nostri
Temporis, atq; æuo dolor accessure sequenti,
Cum tua nequicquam memorabitur ore nepotum
Ingenio probitas artiq; modestia iuncta,
Da mihi te blandum, vultuq; ostende fauorem
Quo tenues audire soles, placidissime, Musas.
Vos etiam doctiq; viri, studijsq; probatis
Dedita, siue humili seu magna ex stirpe, iuuentus,
Propitias adhibete meis conatibus aures.
Si quis enim pugnax odio temerarius hostis
Si quis ades, dolor inuidiæ quem rumpit inertis,
Rumpatur, medijsq; crepet, qua peccat, eadem
Ut luat in forma meritas pro crimine pœnas.

Primus

Primus homo dirum postquam potare venenum
Cœperat, ex Erebi quod legerat Hydra lacunis,
Cuius in horrifono linguæ stant gutture centum
Pestile spirantes & non sanabile virus :
Mens sine labe Deus, Deus ardor, & ignis ab æstu
Omnia consumens, ingenti feruidus ira,
Vel sparsurus erat per totas fulmina terras,
Et quæ condiderat, flammis operosa daturus
Sidera, vel nymbos vasto emissurus Olympo,
Ut semel abrupto diffusas aëre nubes
Solueret, exosus terram, terraq; colonos,
Ne qua redarguerent veteres vestigia nauos.
Certa stat emeritum sententia perdere mundum.
Cum mundoq; homines tantorum exempla malorū
In chaos antiquum mutatis vertere formis.
Pœna placet, sed non pœnæ modus omnibus idem.

Mox ubi cœlicolæ (quos ad sua iussa ministros
Delegit quondam, ciuesq; in regna recepit
Ipse pater, postquam cœlum omne furentibus armis
Arsit, & impatiens belli insuetiq; tumultus
Expulit aligeræ damnata catharmata gentis)
Fatales obitus rerum, frustra q; creati
Interitum mundi lacrymis miserantur obortis,
Et modo diuinæ dubijs assensibus iræ
Indulgent, modo si possint producere saltem
Exitium tentant, mora spem trepidantibus affert.
Interea,

Interea, ne quis temere sine iudice caussam
Tractari metuat, sublimi in sede tribunal
Ponitur, & sella circum, simul ara tapetis
Splendida purpureis, qua tristi saucia morsu
Poma iacent, iuxta stricti sententia iuris
Scripta Dei manibus, pœnam testata futuram.

Nec mora, fulgenti qua se iubar iniicit ortu
Solis, & occiduum ferit astra micantia lumen,
Vndiq; cœlestes caua buccina personat oras
Conciliumq; vocat superum. Volat aethere toto
Cœlicolum diffusa cohors, portasq; fatigat
Abdita seruantes magni penetralia regis.
Hæc circum, primas gemmata sedilia turmas
Accipiunt, pars nixa tholis suspenditur altis.
Celsior ipse loco, solio flammante coruscus
Lucis inaccessæ rerum pater, vnde per omnes
Terrarum tractus subiectum despicit orbem.
Ecce tenax iusti, iurisq; ministra seueri,
Mox coaceruatas virtus inopina cateruas
Diuidit, & lancem dextra, leuaq; flagellum
Iudicium pœnamq; gerit, comitata sorore,
Quæ falsi impatiens à vero nomen adepta
Præsidet & pactis, & fœdera seruat honesti
Contractus, cœlumq; fide terramq; gubernat.
Protinus attollens libram metuenda bilancem
Alterâ, & increpitans scuticæ lora, aspera nodis

Altius

Altius exorsa est, & voce silentia rupit.

Ecquid in hospitio diuim vastoq; recessu
Qua patet ingentis teres & noua machina mundi
Nulla mihi sedes, & ubiq; potentia nostra
Vista iacet? modo iam terras (quas iussa colebam
Ut de iure rudes de religione docerem
Ignaros homines) odijs expulsa reliqui,
Ad patrium reditura thronum, caeloq; recepta
Parua mihi prisca spes est solitiq; rigoris.
Quaq; vacillantes oculos plantasq; reflecto
Alta pedum, late nobis minitantis Olympi
Inuidiam experior, metuoq; quod ante timendum
Non erat, & nostrae pereunt sine pondere vires.
Angelici quid enim toties enorme fauoris
Ferre patrocinium cogor, si credita iusti
Sum Dea, si paenas, qui commeruere, daturi
Tormenta expectant, & adhuc sub iudice caussa
Per suspecta tulit nullum suffragia punctum.
Si vero possunt impunè piacula tanta
Committi, nullumq; doli discrimen & aequi
Restat, & ascendit scelerata licentia caelum:
Cur ego non tremula subito telluris hiatu
Deuoror, aut cuius sine re mihi nomen inane est,
Iusticia excedens superis, oblitaq; gentis
Quaquam inuita mea, non in contraria mutor
Nomina, cum fugiat me caelum, terra fugarit.

Proh

Proh scelus, Adamum, qui semina ducit Olympo
Posthabito voluisse Deo, seruire latroni
Humanae gentis, diuini nominis hosti.
Proh scelus, ille solum, fluctu maris, aëra, flammâ
Condiderit, rerum dominos mundiq, magistros
Iusserit esse duos, nec eos reuerentia blandi
Mouerit autoris, vetitis quin carpere poma
Frondebis abnuerent, morsu laesura nepotes.
Et dubitamus adhuc damno mortale perenni
Extirpare genus, stirpemq, abolere cruentam?
Nulla mora ratio est, veniæ spes certa nefandis
Si qua fuit, iam nulla, reis: desistite mites
Cœlicolæ frustra rigidum exorare tribunal.
Sic decreta iubent, non ferro incisa nec ari,
Scripta, sed in magno, me tum dictante, senatu.
Cum Deus vnus triplex concordia regni,
Exiguo de mente sua concepta libello
Iura, nec attentos hominum fugientia sensus
Conderet, haud vlllo posthac mutabilis auro
Signa voluntatis, vitæ præcepta regenda.
Crescentis potius pereat modo condita mundi
Machina, quam vel apex mutetur, & vnica legis
Littera, perpetuum sit non habitura tenorem.
Illa vias duplices, diuersaq, præmia monstrat,
Spretæ refert mortem, vitam seruata, nec vlli
Hunc licet aeternum fati mutare rigorem.

D Vt sua

Vt sua cuiq; capax mens est, assuetaq; factis
Siue bonis seu forte malis, ita concipit intra
Pectora laticiam laxata, vel arcta dolorem.
Nulla caret precio virtus, sine vindice pœna
Quantumuis mora saepe queat securâ videri,
Non est impietas, sortem, quam quisq; meretur,
Accipit, aut iræ patiens, aut dignus honore.
Quod si certa manent (vt sunt) decreta frequenti
Agmine, quæ posito statuit sapientia mundo,
Nuper in arbitrium superis solenne vocatis :
Quid verbis opus est, quid cognitione molesta
Differimus tardam manifesto in crimine mortem.
Ergo reos homines, si tu mihi nominis autor
Iuste pater, nostræ si vera est stirpis origo,
Dede neci, quemcunq; modum vindicta sequatur.
Ne precor in tantos lapsus absiste moueri,
Nec conuiuendo patiens assuesce vocari.
Vt grauibus nimium vicij parcendo, feraris
Iniustus, dare cuiq; suum ius quando recusas.
Sæpe metus pœnæ, sed fortius ipsa cõrcet
Pœna nefas, paucis lenem veniæq; paratum
Esse malis, alia ex alijs peccata repente
Gignit, & interdum sanctas clementia leges
Importuna premit, stricto sub iure, domantur
Effrenes, tuto viuunt, ad iussa parati.
At te non etiam genitor metuende benignum

Experta

Experta est, castra in celsum transferre Bootes
Inq, domos superas effractis scandere portis
Spirituum conata manus, natumq, supremo
Trudere de solio, regniq, insigne paterni
Per coniuratas sceptrum violare cohortes.
Illa quidem trepidas deiecta fragore per auras
Fulmineo, iustum meruit pro talibus ausis
Suppliciumq, dedit, stygijs addicta cathenis,
Quas dolor, & caeci fumosis nubibus ignes
Noctis & umbrosae caligo semper opacant.
Cur genus humanum tantos impune furores
Tentasset, poenae cum sit spes nulla leuandae
Spiritus, patrio qui nunc fruerentur Olympo,
Errorum si non tua vindex ira fuisset.
Cur non sorte pares, vno coniungis aceruo,
Crimen idem quibus est, & non diuersa voluntas
Peccandi? amborum si dira superbia mentes
Polluit, auersasq, tulit, cur poena superbis
Debita, non omnes premit vna eademq, superbos?
Certè equidem, quando scelus est commune duorum,
Supplicium commune duos sufferre, decorum est.
Nec rectè similes, quos ad subsellia punctis
Accipit vrna reos paribus, discrimine falso
Hunc niger obiecat fati, & liberat illum
Candidus, ac tristes auertit calculus iras.

Fallor an humanæ grauior petulantia culpa
Maioremq; trahet, si desit pœna, ruinam.
Decerptum vetita pomum de fronde, momordit
Ore proteruus Adam, quid mali vilius usu?
Quid leuius morsu? grauius quid vulnere mortis?
Esto, sed innocuos in tanta piacula factus
Cur trahimus, cur non vt res, ita pondera rerum
Æquali trutina libramus, & vnde malorum
Discrimen veniat, verasq; per omnia caussas
Querimus, impulsu cuius, quo numine laeso,
Peccatum fuerit. nam quanto maior habetur
Offensus, tanto minor offendentibus ipsum
Spes veniæ superest, & maiestate grauatur
Aduerse partis non excusabile factum.
Ergo quid externam sine fontis origine formam
Aspicimus, cur non potius lethale putatur
Crimen, ab interno quod habet primordia motu.
Finita cœpit fatalis in arbore lapsus,
Infinita D E V S mens & sapientia laesa est.
Saluificum si fas homini contemnere verbum,
Si temere dubitare licet, si præstat honorem
Reddere diuinum Satanae, si iusta, benignus
Quas pater addiderat, tantarū obliuio rerum est,
Si non ambitio leuis, & blasphema libido
Regnandi, superis pridem est, inuisaq; cœlo,
Nec fastus, stultæq; nocet fiducia carnis :

Quid

Quid toties vanum, magnis quid inutile votis
Pro nullo frustra certamen iure mouemus?
Si tamen hanc massam viciorum fertilis arbor
Præbet, & attactis insunt tot crimina ramis,
Tuq; (quod ambiguum non est) rigidissime iudex
Iustus es, & merita peccantes opprimis ira,
Cur nimium timidi casus expendimus omnes,
Cur sancte fixas, impune refigere leges
Tentamus, cur non raptari ad tartara dignus,
Exilio potius mulctetur, & orbe paterno
Pulsus homo pereat, quam fata tot irrita fiant,
Aut impune ferat tot dira piacula, tellus?

Quam vellet nullas rerum natura querelas
Hoc in confesso fieri, nunc ipsa dolorem
Ipsa suum miseri sentit noua machina mundi,
Cum domino peritura suo, nec iniquius illo
Exitium damno est, quamuis sit criminis expers,
Ipsa tamen pœnæ peregrino in crimine partem
Ipsa gerit veteris iam nunc monumenta ruina.
Ante, diem radijs spargebant integra plenis
Sidera, quâ nitidis vertebam lumina terris
Lux erat, & cælum semper sine nube serenum.
Nunc hominis lapsu tetra ferrugine Phœbus
Pallet, & obscuro rarum iubar exprimit ortu.
Cætera in obiectas tacite penetrantia partes
Robora stellarum, mutatis languida rebus

Defecere, ruunt elementa, auræq; salubres
Umbrarum grati comites, nunc frigida spirant
In prius affectis membris hæsuræ venena.
Quidquid vel supra sol lustrat in orbe, vel infra,
Quidquid in extrema maris & telluris abyſſo
Reptat, & autorem lucis formidat in umbra:
Cum homine ex prima mutatur origine, si non
Funditus obstructo peccati fonte recentis
Vindictæ hunc tetrum tua iuſta potentia lapſum.
Præterea tellus habitanda nepotibus olim
Stirpe ſecuturis ex hac (ſi nulla nefandum
Pœna ſcelus reprimat, diræq; propaginis autor
Primus homo, ſobolem, quod abominor, inde futu-
Educet) hæc tellus & aquoſæ littus arenæ (ram
Infelix lolium, tribulos, herbasq; nocentes
Proferet, exemplum domini moresq; ſecuta.

Ecquid adhuc offenſe parens in fulminis dextrâ
Nutantem retines, tua nec præcordia tangit
Delicti grauitas. Te ſi tamen vndiq; mundi
Segnius irritat damnum commune iacentis,
Siccine ſuſtineas quod non memor ante bonorum
Figmentum manuum, verbo formante, tuarum
Diuinæ lucis radios ab imagine veſtra
Accenſos, nebula iam pridem inuoluerit atra.
Noticijs ratio veris humana refulſit,
Quid poſſet virtus, natura quid intima ferret,
Optima

Optima quæ pietas, quæ vita beator esset,
Novit, & assensu firmo simul omne probavit,
Pectus amore D E I flagrat, amore puellæ,
Quam dederas illi sociam, menti quæ voluntas
Congrua, iusticiam cum libertate tenebat.
Ut semper sic sponte sua, quoque impetus esset,
Annueret, nulloque bonum cogente malum
Eligeret, cordis regina, sed optima mentis
Consilia admittens, reliquas in corpore partes
Imperio facili nutuque regebat amico.
O tristem lapsum, quid in illa sede bonorum
Nunc superest, quo nunc cerebri diffusa cavernis
Vix nata, expirat liquidas scintilla per auras.
Caligo luci successit, & umbra nitore,
Noticiæ fideique locum dubitatio cepit,
Æstuat illicitis flammis auersa voluntas,
Affectusque ciet prauos sine lege ruentes,
Omnia in obsequium turbati cordis aberrant
Membra, nec agnoscunt rectoris in arce sedentis
Vtile consilium, sed quod rapit ægra libido
Pro desiderijs incustodita feruntur.
Aut igitur possessa prius nunc perdita lapsu
Hæc bona restituant, & successura malorum
Semina sublatis extirpent undique causis,
Aut cum relliquijs (modo si quid amabile restat,
Tota nec opprimitur tristi natura veterno)

Intereant homines, & quæ dedit ante perennem
Prima dies, illis hæc finiat vltima vitam.
Quid mea fida soror, cuius spes tota salusq;
Vertitur hac vna in caussa, si victa potenti
Iudicio fuerit, descendet in vltima mecum
Consilia, & superis ibit moritura relictis:
Illa quidem veri custos, exosaq; fraudes,
Nunc tamen ô tua dicta pater si prisca retrahes,
Nullibi securas latebras, & credula quamuis
Ipsa, nec in partes est suspiciosa malignas,
Nusquam habitura fidem, palmas dabit exul in-
Nam locus in cælo quis erit, si dicere factum (mes,
Nitimur infectum, reuerentia digna bonarum
Si legum expirat, si non sub iudice ius est?
Quæ tellus gremio profugam exceptura benigno
Creditur, iratam generi telluris alumno?
Quid miseræ restat, stygiæ nisi ripa paludis,
Aut domus atra situ, & confusis tartarus vmbriis
Hic, vbi constrictus sedet, æternumq; sedebit
Inferni dominus, lites, homicidia, fraudes,
Faucibus ex imis spirans graueolentis Auerni.
Hunc nuper, quando tremere ciuilibus armis
Arcturus, victum ad sæuam deiecit Abyssum
Me damnante soror, clausisq; repagula portis
Addidit & nostri sint hæc monumenta triumphis?
Vt captos cum mille duces, totidem ante cateruas

Straue-

Strauerimus, duo nunc homines se opponere caelo
Sustineant, nobisq; datas eludere leges.
Si vis ergo Pater tua iussa reflectere, rerum
Ordine mutato, si vis noua condere fata,
Si D E V S iniusti vis esse, patronus iniqui,
Si certa est animo (quod non reor) illa voluntas
Parcere peccatis & mecum abolere sororem:
Hæc si cuncta velis, fieri quæ posse negamus,
Vindictæ cupidam iam nunc Pater exue mentem,
Et iudex absolue reos. Hæc dixit, & ore
Conticuit presso, dein flammis vndiq; cinctum
Accedens propius, multum indignata, tribunal
Flebile supplicij signum mortisq; futuræ
Augurium, quando trepidos sententia damnat
Certa reos, vtraq; manu miserabile lignum
Frangere sæua parat, baculus (velut ipse cruenti
Vulneris impatiens aliena pericula nollet)
Ter crepuit, sonitumq; dedit, ter lenta virenti
Cortice, fatorum quasi conscia, si quid inesset
Stirpibus excisis animi, iusti q; doloris,
Virga reluctatur. Passim fremuere sonantes
Cœlicolæ assensu dubio, nutuq; loquaci.

Nec mora, fatales hominum miserata labores
Membra tremens, oculos virgo deiecta pudicos,
Ex vero cui mite dedit Miseratio nomen,
Sicut erat vicina D E O, virgam ipsa crepantem

Arripit, & lacrymans tunicis ferale sub atris
Occulit indicium laeva, dextraq; madentes
Fletu maxillas, & turgida lumina siccat.
Ut primum placati animi, trepidiq; quierunt
Cœlicolæ, tabulata super procumbit in alto
Limine, quod varijs monumenta dolata figuris
Diuinorum operum spirabat, & abdita mundi
Fata, sub ignotis, ventura notantibus, umbris.
Continuo supplex aduoluitur ante tribunal
Et multis præfata D E V M, ter plura referre
Vlteriusq; loqui voluit, ter inutilis hæsit
Lingua, ter obscuro defecit in ore loquela.
Ut tamen hanc animi nubem mora longa remouit,
Corpore cum toto trepidaret, & vndiq; iactu
Omne pauimentum & fulgentes luce columnas
Concuteret, sceptrum extendit, nutuq; iacentem
Erexit mundi fator & rex optimus idem.
Quæ modo suspirans, modo flens, languentia tandē
Membra solo, voces has pectore sustulit imo.

Mite D E V S numen, Pater vnice, & optime
Cuius ab æterno nescit clementia finem, (iudex,
Declini donec motabitur axis Olympo,
In terra pecudes, in abyssis abdita viuent
Bruta, nec his etiam si forte (quod vnica semper
Deprecor) abstuleris motum & spiracula vita,
Hanc simul exueris facilem mentemq; benignam.

Sit

Sit mihi fas saltem testari voce dolorem,
Iudicij si non liceat sperare fauorem.
Quanquam ô, si patrij quicquam restaret amoris
Et coniuratae (dubitanti ignosce) sorores
Vnanimis in pace forent, sed pristina restat
Gratia, nec nobis quicquam est hostile timendum.
Pro domino fide nostro certamus vtrinq;
Et vel ius rigidum, vel mite tuentibus aequum
Speratur nobis, victoria quaeritur illis.
O pater, ô nostrae spes & tutela salutis,
Da precor exiguum nunc tempus, & annue votis
Supplicibus, vosq; ô fratres in amore fideles
Humani generis quibus est iactura dolori,
Vos saltem lacrymis mecum contendite, mecum
Vincite, si qua pios respectant numina fletus.
Sive, quod exopto, seu nos suffragia damnent
Plura, tamen miseris nos condoluisse beatos,
Et trepidos voluisse reos seruare, decorum est.
Non indigna quidem fateor, nec egentia vocis
Visa queri soror est, nullo patet indice crimen,
Cuius in aspectu rerum natura morantes
Abdidit impatiens oculos, luctuq; refugit.
Et quis iusta neget, te coram vana loquatur,
Cum tu sis verax, & cuncta tenore perenni
Quo sunt facta, tui similis, sine labe gubernes.
Ipse tamen, quo iusta facis, quo vera tueris,

Numine

Numine, propitius veniaq̄ paratus, eodem
Crederis, & nostri D E V S es curaq̄, tuendi
Nominis afficeris, nec rectæ ferrea semper
Sceptra geris normæ, cui demit nulla, nec addit
Quantumuis magni, quicquam, violentia fati
Sæpe tuum mollit clementia blanda furorem
Perdere nec tantum, quantum seruare laboras.
Aspice quam comes vultus, animumq̄, benignum
In genus accipiat lapsum, sine corpore turba
Cælestis, quid enim Sardo læta cachinno
Iubilet, & miseris aliorum rebus ouantes
Extollat plausus, non hæc fiducia nostræ
Nec furor est gentis, sunt mitia pectora nobis,
Consilia in melius, cum pœnituisse videmus
Autorem erroris, posita reuocamus ab ira.
Tu quid in exhausta D E V S & bonitatis origo
Mente sub vltici geris implacabile pectus,
Nec faciles spiras circum præcordia motus?
Nunc vbi, quæ quondam Misératio corde resedi
Blanda tuo, tecumq̄, fui, cum nulla creati
Orbis adhuc, stabilisq̄, forent vestigia terræ.
Siccine vilescō, quæ semper prima sororum,
Sæpe mea tristes auerti voce querelas.
Sed quid ego pecco, quo lædo crimine cælum,
Si scelus ausa forem, si turpiter arma tulissem
In dominum periura meum, quantum inde malorum
Heu

Heu mihi quam iustos essem passura dolores.
Nil ego nunc egi, nisi sit pro crimine virtus,
Pro vicio pietas, aut ferre molestius agram,
Aduersos casus miserorum, forte mereri
Supplicium possit, sed cum natura benignos
Et motus faciles misereri, nostra requirat:
Prosit & excuset, quod nunc pro sanguine pugnem
Pacis amans, nec me stimulis rabiosa furore
Inuidia occulto trahat in certamen honorum.
Crimen Adæ fateor, quid enim manifesta negare?
Qui spreto verbo demens, & fonte salutis
Cæcus in obsequium fallacis triste colubri
Se dedit, & blando persuasum credidit hosti.
Cur tamen expiret, modo quas acceperit, auras?
Cur subito, patriæ sine spe fructuq; videnda,
Deserat, in nihilum rediturus, amabile donum
Lucis, & inflexo quidquid capit vltima cæli
Sphæra globo, cur fiat inops, extorris, & exul?
Quis status & terræ quæ forma colentibus orbæ
Tunc erit, autores si fas & semina gentis
Humanae, magniq; licet semel omnia mundi
Præsidia auferri? posthac fumantibus aris
Thura quis imponet, tua quis pater, omne per æuū
Discet, & in longos mysteria proferet annos?
Nam tua qui memorent in cælo facta, ministri
Nos sumus, at viuo terram cultore carentem

Si

Si pateris, si dura tibi placet illa voluntas
Cum præcone tuæ perit hic pars optima laudis.
Utq; scias pœnæq; modum, rerumq; salutem,
Huius & inuenias damnum reparabile gentis,
Quam prius ex nihilo verbo dicente creasti:
Cur memor ipse tui non sis, cum cætera serues
Omnia, cur homines, quibus est custodia mundi
Credita, deceptos erroris nomine perdas?
Ira quidem iusta est, nec eos meruisse negabo
Supplicium, nostro pudor hic non cessit ab ore.
Sed nisi peccassent, tu nulla remittere posses
Crimina, materiam veniæ tibi culpa ministrat.
Nec vero, quanquam miseri graue crimē Adami,
Æquandum est Stygij cum prodicione latronis.
Utq; nec eiusdem, (liceat modo uera fateri).
Peccatum formæ est, sic non commercia pœnæ
Sunt eadem, quoties scelerum discrimen habetur.
Simplicitas hominem, furor & secunda libido
Regnandi, Satanam deiecit, & impia diræ
In dominum male grata suum blasphemia mentis.
Solutus hic & proprijs sese petulantior ausis
Perdidit, ille dolo deceptus & arte Draconis
Sponte tamen perijt, nec te, D E V S arbiter equi,
Impellente, fuit nec lapsus, amante ruinam.
Improba fraus Satanae, persuasæq; fraude volūtas
Humani generis, caussam dedit vtraq; mortis.
Nam

Nam postquam æterna motus bonitate creasses
Omnia, quæ suprâ capit, & complectitur infrâ
Naturæ mater, res præstantissima cælum
Post homines, quos ipse tuæ sub imagine viua
Exemplum mentis terræq; marisq; potentes
Constituis dominos, & libera frena, benignè
Quod vellent iidem, nollentue, relinquis agendi:
Extemplo primis donas habitanda colonis
Arua, serenatum vacuas vbi nubibus auras
Ver habet, & tepidos Zephyris spirantibus agros
Mulcet, & aprico dulces creat aëre fructus,
Ostia, per medium, distincti quatuor amnes
Labuntur, nubem strepitu exhalante vaporum,
Semina gignendis & nutrimenta pruinis.
Irriguae circum valles, & amœna vireta,
Siluaq; quam multa frondentibus arbore ramis
Experiuntur aues, fortunatissimus hortus
Ille quidem, si non pomum lethale tulisset.
Vlterius medio spacium Sol altus habebat,
Cum molles aditus & idonea tempora captans,
Venit ad innocuos cultores, mille nocendi
Artibus instructus, subtili colla veneno
Frigida repletus, specie simulante Draconem
Angelicæ tumido desertor originis ausu.
Non potuit virgo fraudem deprendere, fraudis
Nescia, nam simplex quæ nullos ante fefellit,
Fallentem

Fallentem quibus indicijs cognoscere posset.
 Iam sua finierat blandis exordia verbis
 Argutosq₃ sonos irritamenta malorum
 Subdolos orator, cui pectora felle nigrescunt,
 Oraq₃ tinguntur dulci fallacia melle.
 Fœmina promissis, nimio vir amore puellæ
 Captus, in obsequium serpentis, vterq₃ ruebat.
 Illa tamen vetita quod carpserat arbore pomum
 Infelix, gustu prior explorauit acerbo,
 Acceptum hic manibus cōpressit, & ore momordit.
 Vix tristem primis fructum irritare labellis
 Cœperat, ingratum referebant mala saporem
 Frustraq₃ (quod tacite linguis sufflare trisulcis
 Anguis erat visus) nigro semesa veneno
 Mutata in cineres sparsim sub dente fluebant,
 Obstupuisse comas, vocemq₃ hæsisse palato
 Credibile est hominis, quid enim non ille timeret,
 Inscius ingentis, quod erat mirabile, monstri.
 Hæc finis primæ, diuino ex semine, gentis
 Nunc iras meritæ tristes, hic exitus illam
 Fraude tulit, summisq₃ bonis regnoq₃ paterno
 Turpiter eiecit, nec adhuc satis indiga magnum
 Supplicium luerit, nisi det cum sanguine pœnas?
 O D E V S ô miseris semper spes vnica rebus,
 O solatiolum, cum desunt omnia vita
 Præsidia, ô iusta quoties ardescis in ira,

Suaue

Suaue refrigerium, qui non vt hypocrita mendax
Peccati simulas odium, sed criminis vltor
Serius, odisti verè delicta patranter.
Nec tamen innata, (quæ nunc mihi sola leuamē)
Quod caret effectu, bonitatis amabile frustra
Nomen habes, nec me tua vox in origine fictam
Arguet, aut dominum mihi te patremq; negabis.
Aspice propitio, quo conspicis omnia, vultu
Abiectos homines, Stygiæ ludibria fraudis.
Tu potes (ante mihi satis explorata voluntas)
Ferre misertus opem & rebus succurrere lapsis.
Hoc ego iure meo, si qua est mihi iure potestas
Supplicibus dandi veniam miserisq; rogandi,
Postulo, nil caussa pro splendidiorē sorori
Derogo pugnantī, quæ si tamen omnia libræ
Ponderat ancipitis gemina mortalia lance,
Et bona pro meritis tribuens pro crimine pœnas
Æqualem seruat (trutinando negocia rerum)
Vindictæ scelerisq; modum : quid vtrimq; premēdo
Illa reos profugos, ego defendendo, moramur
Iudicium, cum fas homines Satanamq; rebellem
Dissimiles vna non sit comprædere multa.
Ex se peccandi caussas fontemq; malorum
Traxit, & ille suis pœnæ sese obtulit ausis.
Namq; furens odioq; Dei fretusq; superbis
Viribus, imbelles armare in bella ministros

E Ausus,

Aufus, & impuris cœlum oppugnare cateruis.
Non aliunde fuit persuasus, vt impius esset
Ipse, nec autores impulsoresq; nefandi,
Se præter, facti, periurus, apostata, nouit.
Namq; alij exemplo regniq; cupidine moti
Degeneres animi sunt perfida castra secuti.
Vnde, (nec iniustum est,) nullo monitore ruentes
Adiutore carent, quo sustentante resurgant.
Non ea corporeæ fuerat fiducia gentis,
Scis pater, & taciti quia cordis in abdita visu
Scrutaris, meminisse potes, nisi callidus hostis
Intempestiui faciem simulare Draconis
Nosset, & humano dociles velut ore loquelas
Fingere, non essent crudeli forte ruina
Læta, sed inuersis lugerent tartara fati.
Hinc etiam, cum sint alienæ crimine fraudis
Omnibus amissis in tanta pericula donis
Intricati homines, cur non aliena salutis
Reddendæ (cum sit, miseros seruare, benignum)
Auxilia his tutò concedi posse putandum est?
Præterea angelicæ quamuis iactura ruina
Magna sit, haud totam furor & dementia gentē
Abstulit, hic multa centum legione supersunt
Millia spirituum, quibus est custodia cœli,
Curaq; subiecti seruanda viriliter orbis.
Non ea nunc hominum spes & fortuna labores
Versat,

*Versat, & illorum fecunda propagine culpa
Transitione nocet, nam vulnere qualis Adamus
Accepto nunc est, tales pater ille nepotes,
Hostes nempe Dei gignet mortiq, propinquos.
Primus homo stirps est, hinc rami ex stirpe sequi-
Putrida quæ cum sit, radicis inutile virus (tur,
Tota sub occultis venis simul induit arbos.
Vnde quod angelico decedit ab ordine, lapsu
Abiectum penitus, si te miseratio tangat,
Vt serues homines, ex his succedet, & illis
Amisissis, olim populos duo membra futuros
Sufficient, vt aui retrò numerentur auorum,
Iamq, propagatis diuersa ex gente colonis
Vna secuturos Ecclesia fiat in annos.*

*Dixerat, & dictis lacrymas, lacrymisq, decorè
Alternos gemitus pressi solatia cordis
Miscuit, humani generis miserata laborem,
Et si fas esset, noua nunc exordia fandi
Quæreret, aut alias vellet supplere querelas.
Heu quid agat? quo se iã virgo miserrima vultu
Insinuet. Postquam dicendi finis vtrimq,
Poplite curuato funestum blanda tribunal
Transit, & inflexa patrem ceruice salutat.
Iamq, manu tristem prensat miserabilis aram
Vnde latens pomum subduxerat ante, cruenti
Indicium sceleris: Misceri murmure cælum*

Vndiq; & audita voces visæq; precantum
Motari lingua, suspiria crebra cieri.
Obscuris veluti siluis cum prima susurros
Flamina somniferos miscent, & cæca volutant
Murmura, terribiles nymbis, ventosq; minaces
Grandine fulminea trepidis prodentia nautis.
Aut vbi sub scopulis obstantia saxa morantur
Præcipiti cursu lapsuros desuper amnes.
Tunc interceptis mare fluctibus obuia pulsat
Littora, vicinaq; trahunt vaga sibila ripæ,
Hæc ita dum fiunt, & adhuc sub iudice lis est,
Ecce stolam niueam vittasq; induta recentes
Agmine pax medio stetit, & florentis oliuæ
Innocui quondam Paradisi munera, ramum
Ostendit, iuxta Charites, sanctæq; voluptas
Leticie mater, gressum comitatur euntis.
Iamq; sui quatiens operoso symbola iactu
Nominis, impulsu sublimes diuidit auras.
Blandaq; pacificum meditatatur & vtile mentis
Inuentum placida, quod Spiritus autor amoris
Ipse suam docuit per mystica somnia prolem.
Has igitur voces opportunoq; resoluit
Ora sono, nec abest mansuetis gratia verbis.
O consanguineæ castoq; ex patre sorores
Et fortunatæ, si non noua cura quietas
Sollicitet. Vobis quis sæua laceffere bella

Suadet,

Suadet, & immemores nostri, discordibus ausis
Implicat, an summo dubiam certamine caussam
Est decus vrgeri, cur non medicamina rebus
Sunt alia afflictis, vnde hæ cælestibus ira
Proveniunt animis? cum, quanto plura malorum
Indicia, & grauius læsa pietate parentem
Irritant nostrum: vos tanto impensius æquum
Consulere, atq; omnes sit fas expendere casus.
Naturæ coniuncta Dei commercia vobis
Esse quidem fateor, mihi sed cur ille negandus
Est pater, & quamuis verax iustusq; vocari
Rite potest, tamen & bonus est & amore benigno
Comis, & hinc laudem, simul inde meretur honorẽ.
Ne verò, quoniam pugnamus vtrinq; sorores,
Vlla sit aut damni patiens, aut irrita virtus:
Accipite hæc animis, nam me suadente petendus
Arbiter est caussæ sapiens, nobisq; probatus,
Quiq; Dei verè sit amans, ideoq; salutis
Humanæ sitiens, media qui rectius idem
Nouerit ire via, rigido moderantius vti
Iure, nec admissum leuius punire furorem,
Vtq; ferant equos & cælum & terra labores
Inter vtrunq; modum, discrimine, quærat, acuto,
Hæc vbi fata, Dei gnatum monstrabat, & ille
Hic erit, aiebat, quo nil & amantius equi
Et bonitatis habet iustum ac placabile cælum.

Hic patriæ interpretis mentis mysteria nouit
Omnia, præteritum quem non fugit, atq; futurum.
Quicquid ab æterno tacitè molitur, in illo
Cogitat, arcanum quidquid, pater abdit in illo.
Vix bene finierat, subito cæleste moueri
Concilium, & solui superis in gaudia lætis
Apparet, clamant ipsæ plauduntq; sorores,
Et simul arbitrij dominum, quem prima notarat
Portendi fati, lætisq; in magna vocari
Præsidia auspicijs, adeunt, humiliq; vocantes
Voce, genu amplexæ, pedibus modo blanda sacratis
Oscula certatim figunt, modo pectora pressant.
Ille statim, nec enim poterat sub corde dolorem
Dissimulare suum, rutilanti ex sede iacentes
Tollit, & erectas solatur, & insuper addit.
Non equidem verbis opus est, sed amore fideli,
Consilioq; pio, lapsu meministis atroci
Vt legem violarit homo, quæ nunc quoq; pœnam
Urget, & admissio statuit pro crimine mortem.
Alter seruari sit dignus, & altera certe,
Donec iustus erit Deus, intemerata manebit.
Vt tamen æqualem, saluo fati ordine, palmam
Me nunc caussa ferat, seu iudice. siue patrono,
Vtraq; non certe, si me decreta sequentem
Abdita consilium sapiens dare posse putatis,
Componi his tanta potest, nec cætera tolli

Scandala,

Scandala, pro misero nisi fortunatus, & agro
Sanus, & iniusto iustus moriatur, & expers
Criminis, extremam pro peccatore ruinam
Sustineat, meritasq; luat cum sanguine pœnas.
Dixerat, auxiliij cum iam via certa pateret,
Pax omnem terram, Miseratio lustrat Olympum
Solis ad occasum Solis redeuntis ab ortu.
Quaq; micat, nunquam lambentibus æquora stellis
Axis, & opposita rutilans in parte Canopus.
Queritur, & iustus speratur ubiq;, sed ille
Vel nusquam apparet, vel dirum ac flebile mortis
Supplicium, vitæ metuens, formidat obire.
Nam tellus hominem nec habet, nec labe carentē
(Vt speres) habitura fuit, quia polluit vno
Omne genus morsu, serosq; perenne nepotes
Traxit in exitium, lethi peccata sequentis
Auctor, & æternam mortalibus attulit iram.
Lucida Spirituum mœrentes agmina cœtus
Quamuis iusticia pollent, sine crimine viuunt,
Quamuis humana tanguntur amore salutis,
Nulla tamen nostri dilectio, nulla voluptas
Tanta venit, nostro tristes vt nomine pœnas
In se deriuent, iucundaq; gaudia vitæ
Obijciant tanto, quem non meruere, dolori.
Quid faciant igitur, quò flectant lassa sorores
Lumina, quid tandem conentur, & vnde petitam

Rebus opem fessis deploratisq; requirant?
Quid faciant? misera redeunt, nudaq; lacertos
Oraq; lugubri velata tristia panno.
Conueniunt, noua si possint molimina rerum
Conferre in medium, potuit quæ maxima virtus
Esse, fuit, nulli concors & amica voluntas
Defuit, euentum facilem fortuna negauit.
Ne quid in hac igitur caussa linguatur inausum
Aut intentatum, placet ipso in limine cæli
Res vbi iudicio fuerat tentata, parentis
Æterni sobolem nunc rursus adire precando.

Nate Dei, Deus ipse etiam, spes altera mundi,
Qui sine peccato verax, sine crimine mitis
Solutus es, & miseros non deseris, ante dedisti
Vtile consilium, sed non imitabile nobis
Auxilium nunc adde tuum, nam pectora patris
Semper aperta tibi, nobis arcana voluntas
Non patet, ô hominum deplorataq; salutis
Præsidium, summo propius succede dolori.
Te Pater exaudit, tua vox, rata voce parentis
Pondus habet, tecum Pater est, tu Patris imago,
Nam mala si qua fuit, melior te fiet agente
Caussa, nec amittet ius, qui te iudice blando
Vtitur, auxilij modus & medicamina morbi
Nota tibi soli, partes tibi mille iuuandi,
Tu potes extrema vitam dare mortis in hora.

Hec

Hæc ubi finierant, mediator & vnicus hæres
Protinus arcano suspirans intima motu
Pectora pulsari, pulsataq; sensit aduri
Molliter accensis inter præcordia flammis
Ergo ait, ipsa petunt mundi me fata ruentis
Ipse ego natura iustus, hominisq; creator
Omnipotens, ero nunc precium sub carne redempti,
Meq; (quod auspiciis felicibus opto) futurum
In noua pugnantem pro sanguine prælia mittat.
Ponite tristitiam, mihi pectus amore solutum
Liquitur, & plausa cordis salit abdita vena.
In nostrum nil iuris habet mors improba vitam
Ipse tamen moriar, deuicta morte resurgam
Ne moriatur homo, nostro qui munere viuet.

Dixerat, immensis resonat clamoribus aether
Quæq; solent adhibere, sacrum Paena ministri
Cantantes, iam pleetra petunt, carmenq; sonoris
Nunc Cytharis, nunc dulce tubis, alterna secuti
Iubila, deducunt, hominumq; salutis amantes
Ingenti gaudent strepitu tentare choreas.
Protinus arcano suspirat in igne dolorem
Vnigenæ nati pater, & tamen optat & idem
Ordinat impense fati decreta recentis,
Hinc sacer amborum mentes perfundit amore
Spiritus, & facta disponit pace futuri
Fœderis, & casta de virgine mystica carnis.

*Omnia iam lato rerum miracula cælo
Exultant, quæ mœsta vicem natura parentis
Condoluit, veterem memor induit ipsa figuram.*

*Quas tibi pro tantis donis, quo carmine dignas
Conditor innocui quondam, mundiq; ruentis
Instaurator agam grates, quas optime laudes
Christe tibi soluam? tu me de faucibus orci
Eripis, inferni prædam spoliūq; latronis:
A Patre tu redimis, pro me tu victima diuum
Supplicium cum morte luis sine crimine mortis.
Donec erit tellus, olim calcare beatis
Quam pedibus, dum corpus erat mortale, solebas:
Donec erit cælum, quod homo cum patre gubernas
Deditus ante neci, nunc immortalis, & idem
Verus ab æterno Deus & Patris vnica proles:
Semper apud memorem meritorum Christe tuorum
Laus erit, & nostro tu primus & vltimus ore
Semper eris, tu me sanctè nunc viuere saltem
Dirige conantem, facilesq; in pectora motus
Frigida, diuinis, lucis dator, iniice flammis.*

F I N I S.

Decanus collegij Phi- losophici in Academia Lipsica.

QUANTUM nos in hac nostra infirmitate nec satis intelligimus, nec uerbis describere possumus illa arcana certamina, quæ fuerunt inter Christum & Diabolum hostem Dei & generis humani: tamen hæc cogitare utcunque nos oportet & aliquo modo commemorare, ut beneficia filij Dei celebremus, qui ideo apparuit, ut destruat opera Diaboli. In hac cogitatione repetamus primam promissionem, qua serpens damnatus est, ne uincat filium Dei, & confugientes ad eum. Insidiatur quidē adhuc Ecclesiæ & multa membra fauciat: Sed tamen non uincet credentes in Christum, qui eluctabuntur ex insidijs, iuxta illud, 1. Cor. 15. Deo sit gratia danti nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. De his rebus omnibus die decimo Martij, hora octaua recitabitur in collegio Maiori carmen luculentum, quod & prodesse poterit auditoribus, & eosdem delectare. Hortamur igitur Studiosos omnes, ut eo tempore quod indicatum est, frequentes conueniant, nec ociosis animis descriptionem tentationum Christi audiant, sed petant auxilium à uictore Christo, & sciant Ecclesiam & pios singulos talibus certaminibus exerceri, & uelle certantibus adesse filium Dei.
Die IX. Martij, Anno Christi M. D. LXV.

Decanus collegij Phi
losophici in Academia
Lipfica.

ET SI mirandum consilium de redemptio-
ne generis humani, & temperamentum
Misericordiae & Iusticiae in tota aeternitate
contemplabimur in Deo, & de eo filium Dei
nos docentem audiemus: Tamen incoari has
cogitationes in hac uita & celebrari benefi-
cia Dei necesse est, in quibus amor Patris, Fi-
lij & Spiritus sancti erga nos miseros & cru-
entos uermiculos euidentissimè conspicitur.
Cum enim Pater aeternus nihil nobis debe-
ret, nec ullam à nobis utilitatem expectare
posset, imò cum essemus ipsius hostes atq; ini-
mici, adeo nos dilexit, ut Filio suo unigenito
non parceret, sed pro nobis illum crudelissi-
mæ teterrimæq; morti obijceret: Filius de-
creto aeterni Patris obtemperans unione per-
sonali assumsit naturam nostram, & factus est
pro nobis peccatum, ut nos efficeremur iusti-
cia Dei per eum. Spiritus sanctus missus à Pa-
tre aeterno & Filio domino nostro Iesu Chri-
sto, dat testimonium spiritui nostro, quod si-
mus filij Dei, opitulatur infirmitati nostræ,
clamat ad Deum pro nobis gemitibus ines-
fabilibus. Denique est arrabo & pignus hæ-
reditatis nostræ usq; ad latissimum diem re-
demtionis. De his & similibus rebus die XXI.
Aprilis

Aprilis, hora octava recitabitur in collegio
Maiori carmen luculentum, quod & prodesse
poterit auditoribus, & eosdem delectare.
Hortamur igitur Studiosos omnes, ut eo
tempore, quod indicatum est, frequentes
conueniant, & Deo gratias agant pro Filij
missione, pro ipsius passione, pro redemptio-
ne, pro donatione Euangelij, pro colle-
ctione Ecclesiæ, denique pro omni-
bus beneficijs. Prop. xx.

Aprilis, Anno
Christi

M. D. LXV.

JACOBO STRAS-
BURGO PRÆCEPTORI
SVO COLENDO,

VALENTINVS SCHONERVS
SMALCHALDENSIS.

D*um Vates alij famam mortalibus addunt,
Quæq; canunt, nostris sensibus apta canūt:
Alius humano meditaris pectore carmen;
Et seruire D E O dulce, Iacobe, tibi est.
Felix æthereo, mundi securus, in horto
Otia diuinæ plena quietis amas.
Huc tecum doctas trahis ex Helicone sorores,
In supera Phœbo das regione locum.*

Hic

Hic tibi delicias animæ sapientia dicitur,
E patrio Christi voce relata sinu:
Temperet ut iustam miseratio iudicis iram,
Unicus humani fons & origo boni:
Ut, mortalis homo, Deus immortalis, in auras
Editus, anguineos destruat ore dolos.
Dum nostræ nimium miseratus signa ruinae,
Fundamenta pio fœdere prima locat:
Promissiq; memor pugnae simulacra futura
Anguineo capiti perniciofa ciet.
Mentis opus castæ, casti saluete libelli,
Quam vestris figam basia mille genis:
Aura quibus melior letos aspirat honores,
Abluit & niueas purior vnda manus:
Et cœlestis odor roseo de vertice late
Manat, ad æquales veste fluente pedes.
Non grauidæ folijs errant per tempora frondes,
Quæ grauibus ventis arida facta cadunt:
Æternos geritis fructus, cœlestia dona,
Nec quales tellus facta calore parit:
Aut vetita quales decerpfit ab arbore mater
Prima, neci morsu seq; suosq; dedit:
Sed quales Christus generauit in arbore pendens,
Sanguineis largè quam madefecit aquis.
Tollere non possunt sensum medicamina mortis,
Nec, quicquid toto nascitur orbe, leuat.

Hos

Hos si quis cupido gustauit pectore fructus,
Ille vel in media morte superstes erit.
Ergo salus animæ quantò preciosior vna
Cunctis, quotquot eget vita caduca, bonis:
Debetur vobis tantò reuerentia maior,
Fallor, an hæc alio tempore maior erit?
Tunc Strasburge tuos celebrabit fama labores,
Tunc veniet numeris grandibus æquis honor.
Ingenij quamuis non est euoluere nostri,
Conatu saltem fata mouere decet:
Et decet & fas est, verbo duce, quærere lucem,
Nostra licet multum pectora noctis habent.
Plus etenim lucis, luci vicinus, habebit,
Sol vbi iusticiæ surget in orbe nouo:
Luminaq; æternis non deficientia seclis
Omnibus ostendet conspicienda pijs.
Tunc dabitur coràm spectandi copia Numen
His oculis, nec enim tegminis vsus erit.
Interea seu mane redit, seu vespere Titan
Mersus in occiduas it rediturus aquas:
Christe tuum nomen sublime feremus ad astra,
Quod sumus, aut erimus muneris omne tui est.
Tu modò da pacem, pacisq; tuere ministros,
Quin etiam vita commoda plura dabis.
Nunquid enim poteris, tantum qui diligis hostes,
Membra caput, fratres frater amare nihil?

F I N I S.

1987 373

00N 1393219698

diverse a' no e' q' que

et future.

in rem' cum sicut corpus de
 sub' q' sic est ponam' in pu'
 de q's male i opt ur deien'
 p' mlti medicor' duntaxat
 q' ut q' accit mala q' i pple
 ne sicut corpus q' q' mala.
 q' q' cne sicut corpus p' p' q'
 q' mala valde

medicacois s' medicacois
 res curor' i p' obor' i p' p'
 eo q' sicut q' i i' p' p' p'
 dicit illud q' i o' p' p' p'
 amicum **G**. dicit q' p' p'
 di' am' m' p' p' p' curor'

et q' p' p' p' p' p' p' p' p' p' p'
 et q' p' p' p' p' p' p' p' p' p' p'
 et q' p' p' p' p' p' p' p' p' p' p'

faint handwritten note

faint handwritten note

faint handwritten note

